IANI NICII
ERYTHRÆI
DIALOGORVM
VOLVMEN
ALTERVM.



COLONIÆ VBIORVM,
Apud IODOCVM KALCOVIVM
& Socios, CIↃ.IↃC XLIX.

Digitized by Google

Dialogi poſteriores hi merentur, æque ac priores, exire in publicum. Coloniæ, Kal. Decemb. CIↃ IↃC XLVIII.

Henricus Francken Sierſtorpffius, SS. Th. Doctor, librorum Cenſor.

EMINENTISSIMO
AC
REVERENDISSIMO
PRINCIPI
PETRO ALOYSIO,
S. R. ECCLESIÆ
CARDINALI
CARAFÆ,

Domino ac Patrono plurimum ſuſpiciendo ac venerando.

QVantopere, non ſplendore duntaxat natalium, & ſcientia rerum præclariſſimarum inexhauſta, prudentiaque ſemper admirabili, verum paterna quoque ſigillatim in omnes amœniſſimaque benignitate & comitate, ſeu Angelica potius elegantia, dulcedine, amabilitate, præſtiteris, immo refulſeris, jam olim Coloniæ ad Rhenum, Eminentiſſime Princeps, quum Apoſtolici gereres partes Nuncii; id vero & Vbiorum & populorum Germaniæ reliquorum altiſſime fixum ſedet mentibus, & eruditiorum celebratum exſtat monumentis, ære magis perennibus. Ego laudes tuas, quibus decantandis impar nimium ſum, tangere non item audeo. Solum gratulor mihi, quod, munere divi-

DIALOGVS PRIMVS.

IANVS NICIVS ERYTHRÆVS GABRIELI NAVDÆO SVO, V. C.

S. P. D.

MEmini, te mihi narrare, Patrem quendam Soc. Ieſu, qui in meum librum inciderat, tibi dixiſſe, optandum fuiſſe, ut facultatem illam, qua præditus eſſem, ad res graves ac ſerias ſcribendas contuliſſem. Verum, id ab eo dictum fuiſſe, non miror, qui me non noverit. nam id factum eſt à me pro viribus, cum, per annos ferme viginti, totum illud tempus, quod mihi ab inanibus aulæ officiis vacuum obtigit, non modo rebus ſeriis, verum etiam ſacris. ſcribendis addixerim, nec, præter libellum iſtum, paucis, menſibus an diebus? quorundam impulſu, conſcriptum, & aliquot præterea Dialogos facetos, nihil niſi gravitatis ac ſanctimoniæ plenum, mihi ſum paſſus excidere. Teſtes, Homiliæ, in ea Euangeliorum capita ſcripta, quæ toto anno, ſingulis Dominicis diebus, in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio leguntur. teſtis, Miſſæ ejuſdem, canonis interpretatio; cui libellus de officio Sacerdotis, aliaque ad id pertinentia opuſcula, accedunt. teſtis, volumen exemplorum, quæ, noſtra ac paulo ſuperiore ætate, juſtus judex Deus in improbos ac flagitioſos homines edidit, à nemine, quod ſciam, litteris tradita; quæ maximam habere vim poſſint, ad revocandos ab impermiſſis voluptatibus animos, atque adducendos ad virtutis amorem ac ſtudium. teſtis, libellus de pœnitentia in ſupremum diem non differenda, & Confeſſiones, quibus, D. Auguſtini exemplo, omnes, anteactæ meæ vitæ, ſordes expoſui. teſtes, complures Dialogi, quibus non aliud ar-

gumentum ſubeſt, niſi de rebus ſacris atque divinis. Mitto, quæ vernaculo ſermone verſibus ſcripſi; quæ nihil continent, niſi ſanctarum Virginum laudes, & innumeras fere cantiones ſacras, quæ, in ſacellis Sodalitatum B. Virginis quotidie concinuntur; tum hiſtorias ſacras, ad decem, in actus deductas, quarum aliquas, præſtantiſſimi omnium muſici modulati ſunt, & actores egregii egerunt. Quam vellem, omnia, quæ præſertim Latine ſcripſi, exſtarent, nec, mea opera, interiiſſent! profecto conſtaret, pauxillulum illud facultatis, quod Patri illi habere videor, in rebus graviſſimis fuiſſe conſumtum. Sed, quo nam meo fato contigerit, neſcio, ut opus iſtud, prius ceteris, typis mandatum, lucem aſpiceret, atque omnem fere, pii ac religioſi ingenii, mihi commendationem everteret: niſi id humani generis vitio factum eſſe dicamus. omnes enim ea magis diligere videntur, quæ animos ad hilaritatem impellant, quam quæ ſeveritatis plurimum habeant. Sed, ut ut ſeſe res habeat; obtulit ſe mihi, aliud agenti, Dialogus quidam, eo tempore à me ſcriptus, quo maxime vis peſtilentiæ, tota Italia, debacchabatur. nudus eſt ac rectus, atque ab omni verborum ſententiarumque ornatu ſejunctus; ita enim res poſcere videbatur, de qua erat ſermo. cui, cum jam ſævas manus meas effugiſſet, parcendum duxi, tibique mittendum eum ſtatui; quo fidem faciat, quibus præſertim in rebus ſubciſivas horas contriverim. ac, ſi indignus tibi videbitur, qui ſe ceteris tuis manu ſcriptis immiſceat. ne videlicet contagio ſuo illis umbrave obſit, id illi facito, quod pridem à me factum oportuit. Vale. VI *Id. Decemb.* CIϽ IϽC XXXIX.

DE

DE PESTILENTIA
per Italiam graſſata anno CIↃ IↃC XXX.

PHRONIMUS. PHILOMATHES.

PHRONIMUS.

QVid eſt tibi? quid ita triſtis es? te ne ego triſtem animadverto, cujus hilaritate, tanquam ſolis adventu, à me, omnes obductæ fronti tenebræ, pellebantur? quæſo, quidquid id eſt quod te ſolicitat, pro noſtra amicitia, commemora. nam, communicando, fieri ſolet morbo animi melius.

PHILOM. Nuper eſt ad me allatum, de morte amiciſſimi cujuſdam mei, quam ego, ob eximiam ejus morum ſuavitatem, excellentemque in omni genere diſciplinarum eruditionem, in germani fratris loco diligebam.

PHRON. Quo tandem leto deceſſit?

PHILOM. Hoc quod multos mortales abripuit; nimirum peſtilentia; quæ meam patriam miſerabili clade affecit, &, quod miſerabilius eſt, etiam nunc afficit, neque ſæviendi ulla eidem ſatis ſatietas eſt.

PHRON. At ego, omnem ejus vim morbi reſediſſe ac penitus evanuiſſe, perceperam; atque eram vehementer cupidus, te inſpiciundi, quo tam lepidum nuncium tibi præſenti gratularer.

PHILOM. Emanarat quidem hic rumor in vulgus, ſed fictus ab iis, quibus id maxime utile eſt. mihi quidem probari nullo modo potuit, divinam iracundiam, ex ejus populi incontinentia commotam, tam cito potuiſſe leniri; præſertim, cum nulla morum emendatio conſecuta ſit. ac veriſimilius ſit, eam eſſe acrius inflammatam. ut enim filius, ab irato patre verberatus, ſi non ploret, non ingemiſcat, ſi nullum doloris ſui ſignum oſtendat, largius etiam in ſe patris iram effundat: ita etiam, quos Deus corrigit & caſtigat, ſi non commoveantur, ſi nova

ac meliora conſilia non ſumant, majores, divinæ ejus iracundiæ, quaſi faces admoveant. in ſimili peccandi pertinacia olim verſabantur ii, de quibus per Hieremiam Deus, *Percuſſi*, inquit, *eos, & non doluerunt.*

PHRON. Ergo publicæ hujus cladis damnum, luxuriæ hominum refers acceptum?

PHILOM. Ita prorſus exiſtimo. nam pleraque pars hominum laborat hoc vitio.

PHRON. Tibi prorſus id, quod dicis, aſſentior. nam ſi velim replicare memoriam temporum, omnes fere Dei graves juſtaſque in hominum genus animadverſiones ex effrenata hominum intemperantia contigiſſe reperiam. atque, ut de aliis taceam; quæ nam alia vis, ſulphuris atque flammarum imbres, è cælo in Sodomam ac finitimas illi urbes attraxit, niſi exſecrabilis eorum hominum libido atque nequitia? quid fontes omnes abyſſi recluſit, quid cæli cataractas aperuit, ab eiſque tantam vim imbrium eduxit, ut non unam aut alteram urbem, ſed univerſas orbis terræ partes, & altiſſimorum juga montium, obrueret, niſi nuptiæ, non ad præſcriptum divinæ legis initæ, ſed ex libidinis ardore contractæ? nam, *videntes filii Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ; acceperunt ſibi uxores ex omnibus, quas elegerant.* hoc eſt, qui cultu ac religione ad verum Deum pertinebant, ſe nuptiarum vinculo junxere cum iis, quibus cum ne colloquia quidem miſcere fas fuerat. in hoc eodem ſtatu res hominum Chriſtus offendet, cum de uniuſcujuſque factis, dictis & cogitatis, judicaturus adveniet. quo tempore terrarum orbem non aquis obruendum dabit, ſed igni comburendum delendumque permittet. ac totum hoc, quod dicimus, ex Chriſti ipſius prædictione percepimus. ita enim apud Matthæum idem met loquitur: *Sicut autem in diebus Noë, ita erit & adventus filii hominis. ſicut enim erant in diebus ante diluvium, comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, uſque ad eum diem quo intravit Noë in arcam, & non cognoverunt, donec venit diluvium; & tulit omnes: ita erit & adventus filii hominis.*

PHILOM. Hinc patrium Dei erga nos homines animum licet agnoſcas, quod nullam unquam tacitus nobis plagam inflixit, ſed longe antea, ut caveremus, edixit.

PHRON.

PHRON. Miſericors videlicet Dominus, qui neminem odit eorum quos fecit, ſed vult omnes homines ſalvos eſſe, ante quam feriat, iram non diſſimulat, flagellum ſumit, in altum attollit; Cavete, inquit; idque propterea, ut, in aram miſericordiæ ſuæ confugientibus nobis, non inveniat, quos feriat. at nos improbi, nos ſtulti, non audimus, non movemur, non obtemperamus, ſed in nequitia perſiſtimus. quid igitur hac pertinacia conſequimur? illud nimirum, quod inquit Apoſtolus, *Theſaurizamus nobis iram*; hoc eſt, collecto ex perpetuis noſtris ſceleribus divinæ iracundiæ tanquam acervo, aliquem ſemper cumulum addimus, perficimuſque, ut ab eodem, nobis præter modum irato, plaga veniat vehementior. Tale erat, temporibus Noë, hominum genus, quod, imbribus de cælo, miſſis prope deletum eſt totum: de quorum hominum improbitate verbis dici non poteſt tantum, quantum res ipſa poſtulat. ô homines perditos! centum ac viginti annos ante, tam horribili flagello ſe verberandos, acceperant, (illud enim ſuomet ore temporis ſpacium præſcripſerat Deus, intra quod, qui ſalvi eſſe vellent, reſipiſcerent, & ad juſtitiam remigrarent;) & tamen quam multos vox iſta terruit! quam multos, ad officium, hæc Dei lenitas & patientia reduxit! neminem plane; ſed viſa eſt magis eorum corroborare audaciam, amplificare perfidiam. qua in re licet hominis, peccandi conſuetudine aſſuefacti, duritiem, vel ſtuporem potius, intueri. rem miram; noverunt, tempus delendæ univerſæ carnis, à Deo præſtitutum, inſtare; percipiebant, partim auditione, partim oculis, arcam, Dei juſſu, cœptam ædificari, proxime ad abſolutionem accedere; neque tamen ſibi quiſquam, per pœnitentiam, Deum facere propitium ſtudebat, ſed novis affinitatibus conglutinandis, noviſque ſceleribus coacervandis, infenſiorem reddebat.

PHILOM. At pœnas contumaciæ, ſive malis ſtultitiæ, dederunt, eoque graviores, quo diutius divina eos bonitas & patientia ſuſtinuit. nam, ut eſt in proverbio, *Furor fit læſa ſæpius patientia*; præſertim, ſi ea is abutitur, cui tu non modo nullum dederis damnum vel malum, ſed plurima etiam beneficia tribueris, præterea vitam ipſam & ſalutem attuleris.

PHRON. Cave exiſtimes, homine ingrato inveniri poſſe tetrius quidquam vel immanius, neque, quem Deus gravioribus ſuppliciis dignum exiſtimet. Quid frequentius, quid efficacius, populo Hebræorum Chriſtus objiciebat, quam ingratum illorum animum, quos nullis unquam beneficiis atque muneribus ad ſe ſe potuiſſet allicere, & à ſceleribus ac flagitiis abducere, ideo fore ut in extremo judicio mitius agatur cum Ninivitis ac civibus Sodomæ, quod alteri, ſi Ionam prædicantem audierunt, quanto magis Chriſtum objurgantem veriti eſſent, alteri, ſi tam multa apud ipſos Chriſtum magna atque admirabilia patrantem aſpexiſſent, facile cupiditates ſuas à nefario illo ſcelere revocaſſent? *Viri Ninivitæ,* inquit, *ſurgent in judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ.* & de Capharnaum paulo ante dixerat: *Et tu Capharnaum uſque in infernum deſcendes; quia ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, forte manſiſſent uſque in hanc diem.* Quod ſi acerbiora in Iudæos, quam in Ninivitas, judicia exercenda ſunt, propterea quod illi divinis in ſe beneficiis nullam grati animi mercedem amoremque retulerint; quantam adverſus nos vim ac ſeveritatem Chriſtum judicem ſumturum exiſtimamus, qui, quamvis neque ſe præſentem neque nobiſcum colloquentem exhibeat, longe tamen pluribus atque majoribus, contra ſpiritualia nequitiæ arma, nos copiis præſidiiſque communit?

PHILOM. Quid eſt, quod hodie Prophetarum vocibus careamus? nam, ſi eſſent, qui, Dei ſpiritu pleni, impendentia nobis mala prædicerent, fortaſſe periculi magnitudine perterrefacti ſumeremus nova conſilia, noſtris rationibus magis accommodata.

PHRON. Quas nam, obſecro, divinarum rerum interpretes, in Eccleſia partes ſuſtinent, quod nam aliud nomen gerant oportet, niſi Prophetarum? quid, cum in triviis, in plateis, in templis, de æternis ſuppliciis, de divinis animadverſionibus, diſerte loquuntur; quid aliud, inquam, faciunt, niſi quod veteres Prophetæ factitabant? videlicet, illud ſerio ac fideliter admonent, ne, peccata perpetuando, gravius aliquid de ſalute & incolumitate

noſtra

noſtra conſulamus, ne nos perditum eamus; Deum eſſe iratum, nihil niſi atrox & ſævum cogitare; quod ſi cogatur gravius aliquid de nobis ſtatuere, nullum fore deprecationi locum. Sed nullum fuit tempus, quo tempore non unum vel plures, inſignes ſanctitate viros, Deus excitarit, quos conſilii ſui participes de plectendis peccatoribus fecerit, ad eum finem, quo illi, præmoniti, à peccandi uſu recederent. incidi in quandam Thei Senenſis epiſtolam ad P. Iuvenalem Ancinam ſcriptam, in qua ventura Italiæ mala deplorat, ut nihil inciderit poſtea eidem mali, quod non impendere ille multo ante præviderit. ejus verba hæc ſunt. *Statutum ac deliberatum eſt Deo, falcem arripere, & ſegetem malorum ingratorumque demetere, niſi ſervorum ſuorum precibus, & populorum emendatione, cohibeatur. quamobrem, Pater mi, non eſt quod amplius diſſimulemus, ſed, humanis rationibus poſthabitis, non ſolum in ædibus ſacris, imminentia nobis mala prædicemus, ſed ubique locorum, perfricta, ut ajunt, fronte, clamemus, vociferemur, in omnium cordibus hanc plenam minarum terroriſque doctrinam defigamus; ploremus coram domino, qui fecit nos; peccata populorum, tum præterita tum præſentia, quo juſtitia divinæ impetus, vi lacrimarum, & incenſis ſervorum ſuorum precibus, retineatur. etenim, niſi his artibus cohibeatur, &, quod caput eſt, peccandi licentia tollatur, majus quoddam malum miſcetur, quam ut vitari humana prudentia viribus poſſit.*

PHILOM. Quisnam hic eſt Iuvenalis? ille ne, qui Salutiarum Epiſcopus factus eſt, de cujus virtutibus multa atque admirabilia narrantur?

PHRON. Ille eſt profecto, de cujus laudibus tantum quantum re ipſa eſt, dici non poteſt, quem tu virum ſi audiſſes, Periclem alterum te audire putaſſes; tanta illi erat in verbis gravitas, in ſententiis pondus, in oculis ardor, in voce ſuavitas, ut, quemadmodum ille tonitrui cujuſdam inſtar, fulgurare, tonare, ac permiſcere totam Græciam dictus eſt, ita ille, dictorum verborumque efficacia, in auditorum animos influere, ab iiſque pœnitentiam extorquere videretur. ſed vivit adhuc Io. Matthæus Ancina, frater ejus, quo ego utor familiariſſime, de cujus hominis ſanctitate libere, quæ ſentio, dicerem, niſi aſſen-

tationis ſuſpicionem vererer, &, conſilio ſapientis, hærerem, qui jubet nos hominem laudare poſt mortem. Sed, ut eo revocetur, unde huc declinavit, oratio; nihil mali Deus unquam publice in civitates immiſit, quod per ſanctos concionatores, qui legatione pro ipſo funguntur, non multo eiſdem ante prædixerit. Cum B. Bernardinus Feltrius Ferrariæ conciones haberet, quibus, tum popularium tum ipſorum Ducis vitia qui ceteris ſpecimen eſſe deberet, acri ac vehementi oratione inſectabatur; ſæpius Dux erat eidem pollicitus, ſe, quod offenderet, correcturum, ac peſſimum exemplum de Rep. ſublaturum: ſed magnifica ejus promiſſa, verba tantum erant, nec ad rem conferebantur. quod ſanctus vir intelligens, neque æquum eſſe ducens, ibi diutius commorari, ubi, ſi quid bene præciperet, nemo obtemperaret, Ferraria exceſſit. quo deinde revocatus, recuſavit accedere; atque evocantibus ſe reſpondit: Quoniam F. Bernardinum audire noluiſtis, præſto erit F. Baculus, qui majore quadam vi, quam oratione, vos verberabit. quæ vox oraculi vim habuit: nam paulo poſt, ea civitatem illam clades oppreſſit, ut pene ad internecionem dederit.

PHILOM. Hac una ſaltem in re à veteribus vincimur, quod illi Deum vel Angelos habebant, qui in humana ſpecie atque figura, impendentia ipſis mala, niſi parati eſſent, ad cavendum edicerent.

PHRON. Exſpectas, dum Deus, vel beatorum aliquis, ſe nobis offerat, comitem addat, & familiaribus colloquiis animi ſui ſenſus aperiat? at ſatis id per verbi ſui miniſtros facit, quos æque ac ſe ipſum audiri præcipit. ſed neque id, cum eſt opus, prætermittit, atque omnia ad ſalutem noſtram experitur. plena eſt exemplorum hiſtoria, ex quorum copia unum, quod magis memini, quodque ad rem, qua de agimus, eſt aptius, exponam. Eſt oppidum in regione ſubalpina, Foſſano nomine. in ejus agro, propter vrbem, anno CIↃ IↃ XXI, paſtori cuidem noto, jam inde ab infantia muto, B. Virgo ſe obtulit, præcepitque, ut ad Foſſanenſes iret, eiſque, ſuis verbis, nunciaret, ut ex cœno peccatorum emergerent aliquando, ſeque ad frugem bonam, ut dicitur, reciperent, niſi divinam experiri vim vellent; &, quo fides ejus dictis fieret,

ſe,

ſe, fandi uſum, quo adhuc caruiſſet, ipſi tribuere. abiit ille, ex adepta loquendi facultate, plenus hilaritatis lætitiæque, remque ad Foſſanenſes, ut erat imperatum, retulit. qui, rei novitate commoti, paululum quidem meliores ſunt facti, ſed brevi ad ingenium redierunt. itaque tanta paulo poſt eiſdem peſtilentiæ vis ingruit, ut, ab eadem prope deleti, intellexerint, quid ſit periculi, divinis admonitionibus non obtemperare. ſed poſtea Foſſanenſes, eo in loco, ubi ille mutus loqui cœpiſſet, Ædem B. Virgini ſacram excitaverunt.

PHILOM. Miror equidem, tantum in eo populo ſtuporem cordis extitiſſe, ut prædictionis illius, tam inſigni miraculo confirmatæ, memoriam ſtatim abjiceret, nec propoſitum melioris vitæ teneret. atque arbitror, ſi cui hodie, oculis capto, vel crure debili, lumen aut ingreſſus tribueretur, quo futura prædicenti fides fieret, fore neminem, quin commoveretur, ac perpetuam ſibi continentiæ legem imponeret.

PHRON. Erras, mihi crede, ac vehementer erras. nam, ſi ejuſmodi aliquod prodigium accideret, nullam fere populo morum mutationem afferret. commoverentur quidem hominum animi; ſed paulo poſt, metu depoſito, multo quam antea impudentius ad veterem vitæ conſuetudinem revolverentur; ac perinde illis accideret, ut ovibus ſolet, quæ, vel paſtorum clamore, vel canum latratu, de luporum inſidiis admonitæ, fuga pavidæ, & immemores florum atque herbarum, tutum in locum ſe ſe recipiunt, aſt, ubi paululum ille metus abſceſſit, continuò ſine cura metuque, errantes & vagæ, relictum pabuli ſtudium avidius quam antea repetunt. Quid tam novum & admirabile, quid tam efficax ad convertendos improborum animos ad pœnitentiam, ulla unquam ætas vidit, quam ſpectaculum illud, quod Pariſienſium oculi acceperunt.

PHILOM. Doctorem illum fortaſſe dicis, qui, vita functus, ter in templo revixit?

PHRON. Illum ipſum, inquam, cujus facti memoriam nulla unquam delebit oblivio. O rem horribilem! hic, quum ſumma hominum frequentia, pro eo quod ejus nomen magno eſſet apud omnes honore ac fama, delatus

eſſet in templum, &, more Eccleſiæ, pro eo officium mortuorum recitaretur, ubi perventum eſt ad eum locum, *Reſponde mihi, quantas habeo iniquitates*, caput è capulo extulit, atque, in jus ad Dei tribunal ſe eſſe adductum; edixit. qua re, tam improviſa, tam nova, exterritis omnibus, viſum eſt officium intermittere. quod cum poſtridie inſtauraretur, atque ad illum eundem locum perventum eſſet, revixit pariter, ac, de ſe judicatum, omnibus audientibus, dixit. nec propterea tamen auſus eſt quiſquam certi aliquid de ejus damnatione ſtatuere; ſed placuit omnibus, rurſus officium differre in poſterum diem, atque exſpectare, dum idem, latam de ſe ipſo ſententiam, ſuo metore pronunciaret. neque ſpes eos fefellit; nam, in illis iiſdem verbis, infelix ille tertio ſurrexit, & magna horribilique voce clamavit, ſe, juſto Dei judicio, æternis fuiſſe pœnis addictum. Quam multos exiſtimas, ex illa pene infinita hominum multitudine qui ad ſpectaculum aderant, eſſe mutatos? vix capita hominum inventa ſunt decem, qui Carthuſiam contenderint, ſeque in illa deſertiſſima ſolitudine, pœnitentiæ agendæ gratia, abdiderint; unde poſtea Carthuſianorum ordo defluxit. Hoc exemplo, & aliis quæ non eſt neceſſe referre, eorum opinio refellitur, qui exiſtimant, ſi mortuorum aliquis reviviſcat, ac de æternis ſuppliciis ac præmiis diſſerat, fore ut omnes vitia deſerant, ac virtutes amplectantur & colant. quorum ſane error, ſapientiſſimo illo, apud Lucam, Abrahæ dicto redarguitur, qui, rogatus à divite damnato, ut mitteret aliquem ex mortuis in domum fratris ſui, qui fratri horribilem ſuum caſum exponeret, nunciaretque ut pietatem, juſtitiam, & caſtitatem coleret, ne poſtea cogeretur mortuus in illam tormentorum ſedem venire; reſpondit, habere eum Moyſen & Prophetas, quorum libri referti eſſent ejus generis monitis ac præceptis; proinde eos audiret; cumque excepiſſet ille, majorem apud eum autoritatem & pondus habituram mortui cujuſpiam orationem, quam omnes veterum vatum prædictiones ac minas, non conceſſit hoc Abraham, ſed, *Si Moyſen*, inquit, *& Prophetas non audit, nec, ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credet*. Quod ſi mortuorum viſis & imaginibus nihilo magis homines à vitiis revocantur, putas ne

ex

ex portentis atque miraculis eoſdem perterritos, ad juſtitiam remigraturos? Mirum eſt, quod P. Iuvenalis, de quo ſupra commemoravimus, à Roberto Bellarmino acceptum, in adverſaria ſua retulit. qui Bellarminus, cum anno CIↃ IↃ LXXXII in Collegio Romano Soc. Ieſu ſacras literas interpretaretur, ab idoneo teſte ſe audiſſe narrabat, qui diceret, Conſtantinopoli, anno CIↃ IↃ L, ſummum quendam Turcarum antiſtitem, lecto Euangelio, ſtatim ad Chriſti fidem eſſe converſum, ac palam Mahumetanam ſuperſtitionem deteſtatum, ſolam Chriſtianam religionem veram eſſe dixiſſe; quamobrem Turcarum Imperatorem iratum, juſſiſſe eum interfici, &, inhumatum, canibus projici; verum, eundem ſanctum & inviolatum canibus extitiſſe; inſuper, demiſſum cælitus lumen eidem incubuiſſe. putas ne, eo oſtento, Imperatorem illum, vel Turcarum quemquam, ad Chriſti fidem, eſſe converſum? nihil minus; ſed Imperator, ridens, Non mirum eſt, inquit, ſi eum canes non attigerunt; nam, ut eſt in proverbio, Canes canibus non veſcuntur; hoc enim nomine Turcæ, nos Chriſtianos, appellant. itaque juſſiſſe eum, ajebat, in fruſta conſciſſum, canibus iterum objici; ſed canes, ut antea, ne eſſe quidem auſos accedere, flammamque illam, quæ corpori illucebat, pro numero partium, eſſe diviſam, ac ſingulis membris, tanquam ſingulas faces, inſediſſe.

PHILOM. Tu vero longius ab eo; quod propoſueras jam dudum aberras. cœperas enim referre, quas Deus civitatibus clades, ob luxuriam hominum, intuliſſet. quæſo, niſi moleſtum eſt, revoca te eodem, unde digreſſus es; & oſtende, quemadmodum Deus libidines hominum vindicet: idque non ſolum publicis, ſed privatis etiam exemplis, ſi ea ſuppetunt, edoce.

PHRON. Si ſuppetunt, inquis? ſexcenta, ex omnium ſeculorum memoria, mihi veniunt in mentem; ſed, quo tibi morem geram, pauca quædam & illuſtria ex hoc ævo depromam, quæ ad meam notitiam pervenerunt. Anno CIↃ IↃ CI, adoleſcens, turpiſſimis imbutus cupiditatibus, & in primis longa mulieri cuidam implicatus conſuetudine, incidit in morbum; quo cum in dies acrius premeretur, jamque in propinquo mors eſſet, fortaſſe amico-

amicorum perſuaſionibus, coactus eſt confiteri ſacerdoti peccata ſua, magis id adeo, ut amicis obtemperaret, quam animo pœnitendi; ut ex eventu apparuit. nam à Patribus miniſtris infirmorum admonitus, ut ſanctiſſimi Ieſu Chriſti nomen efferret, eaque tantum haberet in ore quæ extremo illi tempori convenirent, verſabat ſe, æſtuabat, neque conſilium admittebat; tum, parens ejuſdem, cubiculum, ubi filius decumbebat, ingreſſus, ſubito eum pavore, fortaſſe ex Dæmonum aſpectu, perterrefactum, & (horrendum dictu) fœdas ab inguine flammas emittentem, aſpexit; quo in cruciatu infelix ille adoleſcens, ejulans, ac deſperans rebus ſuis, eſt mortuus.

PHILOM. Iam mihi videtur voluiſſe Deus hujus ſupplicio docere, quod in ea corporis parte acrius quiſque plectetur, qua præcipue eſt uſus ad divinam legem violandam; ſicut in cælo ea beatorum membra largius remunerabuntur, quæ excellentiorem fidelioremque Deo operam navarunt. Sed reliqua audire exſpecto.

PHRON. Quod ignis ſupplicio quævis luxuries, ſed nefaria in primis hominum libido, coërcenda ſit, anno CIↃ IↃ LXXXIII in duobus adoleſcentibus Deus oſtendit; qui cum, vetito ac deteſtabili complexu, una corpus animumque contaminarent, ſubito horribilique igne, qui ab eorum corporibus obſcurus ac teter afflabat, abrepti, ſumma eorum, qui aderant, cum admiratione, ita ut erant complexi, eatenus exarſerunt, quoad in cinerem ſunt redacti.

PHILOM. In duobus illis adoleſcentibus, longo intervallo, renovatum eſt vetus illud in Sodomam & Gomorrham exemplum. ſed multo eſt horribilius, quod memini me legiſſe in hiſtoria Franciſcanorum. Cum D. Bernardinus Senenſis, veſpere feriæ V, majoris hebdomadis, luminibus remotis, ſacram Chriſti Domini Paſſionis hiſtoriam, populo frequenti, narraret; repente, magna voce, ac verbis ardentibus: Referte referte, inquit, lumina; Deus in hoc templo gravi & inexpiabili ſcelere violatur. ad quam vocem cum æditimus aliique cum facibus accurriſſent, ac quæſiſſent omnia & inveſtigaſſent, invenerunt in angulo ejus eccleſiæ duos, vetito ac nefario concubitu copulatos atque commiſtos, tetris & obſcu-

ris ignibus exuri. ex quo licet intelligamus, quid fere habeant vitii hæc nocturna ſacra atque vigiliæ, quamque ſapienter etiam à veteribus, præſtanti prudentia viris, improbentur.

Phron. At D. Hieronymus, hæreticorum dicta refellens, hæc eadem tuetur & laudat, neque eſſe æquum, ait, propter unius vel alterius improbitatem atque nequitiam, tot, innumeris fere hominibus, utilitates & commoda eripi. Sed ad inceptum redeo. non ſolum hoc nefariæ libidinis genus perſecutus eſt Deus in iis, qui veræ fidei notitiam habuerunt, verum in eis etiam, quibus nullum ejuſmodi lumen effulſit. nam ex veteribus, hujus criminis infamia conſperſis, non fere quiſquam, quamvis egregius, ſua morte defunctus eſt, ſed violenta ac miſerabili. atque, ut de ceteris taceam, Alcibiades facile ſuæ civitatis primus, atque omnium ætatis ſuæ multo formoſiſſimus, qui multorum libidini inſervierat, multoſque viciſſim, corporis obſequio, ſibi devinxerat, vix eam flammam vivus effugit, qua deinde, inimicorum ſuorum telis confoſſus, exarſit.

Philom. Quod libidinoſi homines, igni atque omnibus tormentis, apud inferos excrucientur, tam multis exemplorum prodigiorumque ſignificationibus patet, ut rei hujuſce veritas, jam non fide, quæ eſt argumentum non apparentium, ſed ſcientia, comprehendi, atque adeo manu teneri videatur. quo magis eorum ſtultitia perſpicitur, qui quum, improbis conſtituta ſupplicia, pene oculis cernant, nihilominus tradunt ſe libidinibus conſtringendos. quid facerent, ſi hæc, non veriſſima atque certiſſima, ſed aniles eſſe fabulas, exiſtimarent?

Phron. Sunt aliqui, ita libidine excæcati, ut eos credam falſa exiſtimare illa, quæ de inferis memorantur. ſed fit plerunque, ut iſti, repentina morte ſublati, experiendo percipiant, non eſſe illa poëtarum fabulas, nec pictorum portenta, ſed ſolida & æterna ſupplicia. quo potiſſimum leto adoleſcentes duo extincti leguntur, qui B. Ioannæ Vrbevetanæ virginis clariſſimæ formam, cupidius quam par erat, inſpexerant. quorum unus, cum redeuntem è ſchola puellam impuris oculis eſſet intuitus, tanquam ſi eo intuitu poculum mortis hauſiſſet, continuo

exſtin-

exſtinctus, illius ad pedes jacuit; alter vero, cum, ad laſciviam oculorum, verborum etiam petulantium addidiſſet, pari modo exanimis concidit.

Philom. Quid dicam eſſe cauſæ, cur Deus eorum adoleſcentium intemperantiam, intra verba tantum & conjectum oculorum poſitam, ſubita morte correxerit?

Phron. Id, duabus de cauſis, factum exiſtimo. primum, ut intelligamus, virginem caſtam, ita in Chriſti fide præſidioque latere, ut ejus ope, non ſolum ab improborum manibus, verum etiam oculis, diligentiſſime cuſtodiatur. deinde, ut falſa eorum opinio minuatur, qui, quia commune ſit hoc vitium ac pervagatum, exiſtimant, licere cuivis, adoleſcentibus præſertim, in eo verſari. majus eſt hoc vitium, quam ut poſſit, adoleſcentiæ excuſatione, defendi. nam dimanat ceteris latius, nec ſolum advenit, ſed multo magnoque comitatu inſtructum accedit. aliis enim peccatis animus tantum inquinatur, ab hoc verò una cum animo corpus etiam inficitur, quod eſt, ut inquit Apoſtolus, templum Dei, & Spiritus ſancti domicilium; deinde, ab hoc capite, omnia illa vitia emanant, quæ B. Gregorius lib. XXXI Moralium, cap. XXXI, enumerat; nimirum, cœcitas mentis, inconſideratio, inconſtantia, præcipitatio, amor ſui, odium Dei, affectus præſentis ſeculi, horror, vel deſperatio futuri.

Philom. Quid audio? etiam Dei odium ex luxuria procreatur? quo ſcelere nullum ne excogitari quidem poteſt vel immanius vel tetrius. deinde, non video, quomodo ex eadem, deſperatio ſalutis æternæ conſequatur.

Phron. Hoc tibi mirum videri non debeat, ſi velis reminiſci, neminem eſſe, quem tantopere homines oderint, neque quem tam eſſe cupiant exſtinctum, quam qui ſe cupiditatibus ipſorum opponit. itaque cum libidinoſi acerrimum voluptatibus ſuis adverſarium Deum eſſe percipiant, eum vellent, ſi fieri poſſet, funditus tollere. præterea, qui totum ſe huic vitio poſſidendum tradidit, tanquam de victoria ſui deſperans, omnem æternæ mercedis ſpem abjicit, vel, ſummum bonum in voluptate conſtituens, futuræ vitæ præmia contemnit.

Philom. Eſto, jure in illos duos adoleſcentes, de qui-

quibus meminiſti, ita acriter ſævierit Deus; aperte enim erant impuri, & in virginem, ipſi Deo acceptiſſimam, petulantes fuerant. illud quidem mirari ſatis non poſſum, eadem ſeveritate animadverſum eſſe in aliquos, qui, ſi maxime intemperantes eſſent, eorum tamen libido effundebatur in meritricibus, neque palam ſed occulte, ne in eo fortaſſe alii offenderentur. nam, ut eſt in proverbio, Celanti magna ex parte, noxa dimittitur. at ſi fuit unquam tempus, quo me divina judicia in admirationem impellerent, tum profecto fuit, cum ille noſter aulicus morte extinctus ſubita eſt.

PHRON. Dici memini, anno CIↃ IↃC XI quendam ex veſtris, in complexu concubinæ, diem ſupremum obiiſſe; ſed rem oblitus ſum totam. tu, qui interfuiſti, ac meliore memoria es, quæſo, enarra.

PHILOM. Hic, de quo dicimus, die quodam, à prandio, invitatus à nobis, ut animi cauſa rhedam nobiſcum una conſcenderet, Ego vero libenter, inquit, ſed eſt mihi primum hic in proximo negotium; tantillum expectate, dum redeo; nam mox adero. ſed paulo poſt venit à meritrice ibi vicinæ nuncius, qui diceret, illum miſerum eſſe mortuum repente. perturbati accurrimus, domum meritricis venimus, quemadmodum res geſta ſit, quærimus. reſpondet ancilla, in Venere eum animam exhalaſſe. &, quo magis divina judicia admireris, aderant in illo homine multarum ſigna virtutum; non erat elatus, non iracundus, non avarus, ſed mitis, demiſſus, liberalis; nulla in moribus aſperitas inerat, nulla in verbis obſcœnitas notabatur; vitia quoque libidinis, ſive quod occultaret, ſive quod re vera non magnopere apud eum flagrarent, fere nulla conſpiciebantur. quibus rebus fiebat, ut omnibus, Principi præſertim cui operam navabat, carus eſſet in primis.

PHRON. Quod infelix, miſeri iſtius hominis, caſus tantam nobis admirationem injiciat, ideo fit, quia ſenſuum, oculorum præſertim, arbitrio, de unoquoque ſtatuimus, neque in intimos animorum receſſus penetramus. at longe alia ratio eſt Dei, qui ſcrutatur renes & corda. ecquis ſcit, an ei, in quem videri poſſit gravius animadverſum, ſtatutum ac deliberatum fuerit, uſque ad

exitum

exitum vitæ, in errore perſeverare, atque à divinis vocibus, ſe à flagitio revocantibus, aures occludere? quæ voluntas potuit quidem nobis, fictæ probitatis involucris obtecta, ſubduci; at Dei oculis, quibus nuda & aperta ſunt omnia, occultari non potuit. *voluntarie autem peccantibus*, ut inquit Apoſtolus, *jam non relinquitur pro peccatis hoſtia, terribilis autem expectatio judicii.* at, quod terribilius in eos dari judicium poteſt, quæ gravior pœna conſtitui, quam ut ex improviſo rapiantur, hoc eſt, ut nullum, ad peccata deflenda, atque adeo ad ſe colligendos, ſpacium obtineant? ſæpe enim Deus, quos diu ſuſtinuit, ſubita, Gregorius inquit, morte caſtigat.

PHILOM. At, quemadmodum hos, quos diximus, tam ſubito interemtos fuiſſe arbitraris?

PHRON. Putas ne, illi, qui omnium vitæ neciſque ſit dominus, rationes deeſſe, quibus repente, cui velit, vitam eripiat? poteſt ipſis morborum cauſis, ex hominum intemperantia quæſitis, atque intus latitantibus, eum ſtatim exſtinguere; poteſt etiam, peccatores occidendi partes, Dæmonibus mandare, quorum opera, in ſeptem illis viris interimendis, qui, animo minus caſto, Saræ thorum inibant, uſus fuiſſe legitur. omnes enim Dæmon, Deo ita jubente, præfocatos occidit. ſimili animadverſionis genere, Deus adoleſcentium quorundam audaciam compeſcuit, qui S. Tuſcanæ pudicitiam per vim expugnare ſunt conati. hæc mulier, forma ac vultu, ſupra quam dici poteſt, honeſto, viro ſuo orbata, & facultatibus in uſus pauperum erogatis, totam ſe vigiliis, jejuniis, precationibuſque tradiderat. verum, tres adoleſcentes, eximia ejus pulchritudine capti, ſtatuerunt potiri. itaque, die quodam collem, in quem illa, orandi cauſa, Deoque liberius inſerviendi, ſeceſſerat, ex compacto adiere. atque eorum unus, juvenili licentia, ferocior ceteris, parietes domus inſcendit, ac per feneſtram in cubiculum mulieris, in attentiſſima divinarum rerum meditatione defixæ, ſe ſe demittit; &, cum vellet in ejus complexum irruere, à Dæmone cohibitus & ſtrangulatus interiit. idemque aliis duobus, qui, fruſtra ſociorum reditu exſpectato, deinceps ad mulierem irruperant, accidit.

PHILOM.

PHILOM. Malorum igitur Angelorum opera, Deus vindicat libidinis vitia.

PHRON. Recte. iis enim miniſtris, ſive carnificibus potius, Sodomorum urbes igni delevit; iis etiam adminiſtris, illas tam multas Ægyptiis ac Pharaoni plagas inflixit. verum, cum eſt ſumendum de improbis ſceleratiſque ſupplicium, modo bonis, modo malis Angelis utitur. cum vero ſancti cujuſpiam viri aut probanda patientia eſt aut virtus declaranda, nunquam bonos, ſed malos ſemper Angelos adhibet. per hanc rationem, Iob viri ſanctiſſimi, quem omnium ſeculorum poſteritati ſpectatum patientiæ omniumque virtutum exemplum eſſe voluerat, fortunas, liberos, valetudinem, Dæmonis libidini fororique permiſit.

PHILOM. Quantum ex iis, quæ hactenus à te docte eruditeque dicta ſunt, audio, intemperantiæ crimina, cum nulla ſequitur emendatio, mortis pœna non parum ſæpe puniuntur.

PHRON. Hinc licet intelligant ii, qui ab hoc vitio poſſidentur, quantum in ſe ſcelus concipiant; cum ſæpe illud morte, hoc eſt, graviſſimo omnium ſupplicio, plectatur. quod etiam, in ſacris litteris, figuris quibuſdam, tanquam coloribus, expreſſum apparet. etenim decem illæ plagæ, quibus Ægyptus afflicta eſt, totidem flagella, Decalogi præcepta violantibus parata, Auguſtino teſte, deſignant. verum in ea plaga, quæ fuit omnium fere acerbiſſima, cum videlicet primogenita omnia, una nocte deleta ſunt, ſignificatur, hominum libidinem luxuriemque ad perniciem ac mortem vocari. Quamobrem, in hoc, tam utile tamque laudabile, caſtitatis colendæ ſtudium incumbe. quam laudem quo facilius aſſequaris, omnes peccandi illecebras occaſioneſque devita; Deumque precare, ne te tentationibus, oppugnatum, cedere ac manus dare permittat.

DIALOGVS SECVNDVS.

IANVS NICIVS ERYTHRÆVS NAVDÆO SVO S. P. D.

H*As Chriſti naſcentis ferias.*

Cum vaga, ſolemni diſcurrunt undi-
pompa,
Perque vias Vrbis, munera, perque
domos,

noluì ſine aliquo meo ad te munuſculo prę-terire; quo teſtata eſſet omnibus, mea ſingularis erga te voluntas, & ſtudium. venit igitur ad te brevis hic, de Chriſti paſtoris ovibus, dialogus, paucis diebus, vel horis potius, exaratus. non me latet, quam ille ſit jejunus, inops, nec te dignus; ſed ab ingenio tenui, humili, ſterilique, quid prodire, niſi ſui ſimile, potuit? ſed qualecunque illud ſit, non eſt huic tempori inconveniens, quo paſtor ille bonus, nonaginta novem ovibus, cęleſtibus in montibus, relictis, in hęc inferiora loca avia atque deſerta ſe infert, ad unam ovem repetendam, quę à ceterarum cœtu ac ſocietate divulſa, variis ſe ſe erroribus implicaverat; deinde, Regum ac principum virorum aulis poſthabitis, felix ortus ſui nuncium ad paſtorum tuguria, Angelorum pręconio, deferendum promulgandumque curavit. accedit, quod, in has ferias, dies, B. Thomę Cantuarienſi Epiſcopo ſacer, incurrit, paſtor, ad unguem, ut dicitur, factus, ac Paſtori Chriſto, moribus atque exitu vitę, ſimillimus; qui, pro commiſſo ac tradito ſibi grege tuendo, honeſtum ſibi ac glorioſum exiſtimavit eſſe, vitam in diſcrimen offerre, ac denique ſanguinem ipſum effundere. Tu, quę tua eſt humanitas atque benignitas, pergratum mihi feceris, ſi à Deo impetraveris, ut ſanctiſſimis hiſce feriis, una cum paſtoribus,

Ange-

Angelorum cantu de Chriſti nativitate edoctis, ad diviniſſimi illius infantis incunabula properem, & oviculam animæ meæ, omnibus antea peccatorum ſordibus expurgatam, ante vagientis pedes abjiciam. Vale. VIII *Kal. Ianuarii* CIƆ IƆC XXXIX.

DE CHRISTI PASTORIS OVIBVS.

PHRONIMVS. EUSEBIA.

PHRONIMVS.

VNde te recipis, mea Euſebia?

EUSEB. Ab eccleſia, ubi rei divinæ interfui, ac religioſum quendam virum, de loco ſuperiore, verba facientem audivi.

PHRON. Qua nam de re ſermonem habuit?

EUSEB. Pollicitus eſt quidem, ſe decimum Ioannis Euangelii caput interpretaturum, ubi ſe Chriſtus paſtorem appellat, ac peculiares ſibi quaſdam eſſe oves affirmat, quæ ejus providentia contineantur; ſed nihil ab eo actum eſt minus. nam, homo copioſus, horam integram, locutus eſt, de admirabili Dei ſapientia, qua univerſum mundum regit; at de Euangelio mirum ſilentium. quamobrem jejunior atque avidior abii, quam acceſſeram.

PHRON. Commune eſt hoc vitium ac pervulgatum, concionatorum fere omnium, ut orationem, à propoſita materia, ad univerſi generis quæſtionem transferant. ac non parum ſæpe evenit, ut, ex uno aliquo verbo occaſione abrepta, in aliqua virtute laudanda, contrarioque eidem vitio vituperando, omnes eloquentiæ nervos induſtriæque ſuæ contendant. ſed, hoc modo, quis non poſſit eſſe eloquens? at tu fortaſſe expectabas, ut ille de paſtore Chriſto, de ovium ſuarum genere, plura diceret; ut doceret, alios eſſe paſtores præter Chriſtum, qui oves

potius glubant quam tondeant, eſuritione enecent quam paſcant, tum, copioſe diſſereret, alias eſſe oves, præter eas, quas paſtum duceret ac reduceret. at ego fui felicior; nam in concionatorem incidi, qui hæc fere omnia, non ſolum diſerte, verum etiam diſtincte, ita ut memoria comprehenderim, attulit.

EUSEB. Quæſo, ſi memoria tenes, fac me illorum participem. aveo enim ſcire, utrum ad Chriſti, an ad alterius paſtoris oves, pertineam.

PHRON. At tu aures defeſſas, ad id quod poſtulas, affers. modo enim, ex concione illa redis, unde nihil domum melior vel doctior facta te recipis. quamobrem ſatius eſſe duco, rem in illud tempus rejicere, cum jam aures tuæ, ab inani ac longa oratione laſſatæ, conquieverint, ac majus utrique noſtrum otium contigerit. nam, ut diei tempus eſt, prandii hora jam appetit.

EUSEB. Immo, multo nunc ea malo audire, cum tibi in memoria hærent, nec tempus illud expectare, cum pars eorum major exciderit. de prandio, quod dicis, nihil moror; nullas enim ſuaviores eſſe epulas arbitror, præter eas, quæ jejunum ac famelicum animum explent.

PHRON. Faciam tibi ſatis; &, quoniam hoc diei tempus eſt, breviter, diſtincte, ac dilucide, quod memoria comprehenſum habeo, totum effundam. Cum Chriſtus quaſdam ſibi eſſe oves aſſerat, quibus ipſe imperet, victum comparet, curam ac ſolicitudinem ſuam impertiat, ac, ne ferarum immanitate trucidentur, mire provideat; conſequens ſit, reperiri alias oves, quæ alterius paſtoris ductu imperioque contineantur.

EUSEB. Tuam fidem, Chriſte mi, obſecro, tantam à capite meo peſtem aperte; nec patere, me in aliis ovibus numerari, niſi in tuis.

PHRON. Verum, de his poſtea. nunc de Chriſti ovibus dicamus. Ac, ſi cupis ſcire, utrum in illis invenïaris, an non; dabo tibi quaſdam quaſi notas & ſigna, quibus Chriſti oves à ceteris, nullo negotio, dignoſcantur. quæ ſigna, ſi concionator ille tuus ad Chriſti verba, quæ in hoc decimo Ioannis Euangelii capite referuntur, paululum animum advertere voluiſſet, profecto nunc à me non deſiderares: nam ea ille non reticuiſſet. At, ſi placet,

oves,

oves, omnibus illis notis tanquam impreſſas, aſpicere, quas Chriſtus in nobis inuſtas intueri deſiderat; reduc tibi in memoriam eas oves, quas Iobo, viro ſanctiſſimo, amici ipſius, officii ac muneris gratia, miſere. ſinguli enim ſingulas illi oves, cum inauribus ſingulis ex auro, dono dedere.

Euseb. At nunc primum, hoc tam novum muneris genus aures meæ accipiunt. nam ſacras litteras, quarum verbum prorſus nullum intelligo, non conor attingere; ſed expecto, ex te audire, quæ nam in eo munere, tanquam myſteria, lateant.

Phron. At tria in eo, tanquam conſtructa atque recondita, deliteſcunt, quæ à ſacris interpretibus proferuntur explicanturque; quæque ajunt eſſe Chriſti ovium maximè propria ac neceſſaria. primum enim munus illud ex ovibus conſtitiſſe dicitur, non autem ex lupis, aut ex aliquo alio, immanium ferarum genere. in quo illud oſtenditur, eos, quos ſuum in gregem Chriſtus recipit, ovina, non autem ferina, præditos eſſe natura; hoc eſt, ceteris hominibus, inſigni humanitatis innocentiæque laude, anteire. etenim, qui paululum ab humanitate, à manſuetudine, ab innocentia, atque adeo à recta vivendi ratione, deflectit, hic eſt ab ovibus aliiſque manſuetioribus animantibus repellendus, & ad lupos, atque ad feras immaneſque beſtias, rejiciendus. verum, hac præſertim manſuetudinis innocentiæque nota, Chriſti oves ab aliis dignoſci, illa ejus verba demonſtrant, *Ego cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ.* at hæc notitia, non ex corporis forma oriſque delineamentis habetur, ſed ex ſimilitudine voluntatum ſtudiorumque percipitur. hæc, paulo fortaſſe obſcurius dicta, continuo ex omni fere verborum obſcuritate, tanquam è tenebris, evoluta, profert in lucem Chriſtus, cum ait, *Sicut novit me pater, & ego cognoſco patrem.* at, quæ nam alia inter patrem filiumque notitia intercedit, niſi quam mutuus inter ipſos amor benevolentiaque ac voluntatum ſimilitudo conciliat?

Euseb. Quod ad manſuetudinem attinet, cum abſim ab ea longiſſime, miſeram me, vereor, ut in Chriſti ovibus ſim. nam, verbo ſæpe uno grauius appellata, efferveſco ira ac ſtomacho vehementius. quid mihi igitur es autor ut faciam?

PHRON. Si manſuetudinem tibi deeſſe intelligas, ut petas ab eo, qui, verborum contumeliis laceſſitus, injuriis oneratus, extremo ſervitutis ſupplicio affectus, tanquam agnus manſuetus obmutuit, nec aperuit os ſuum. nam manſuetudinem, & cetera alia dona, dat petentibus affluenter, & non improperat. deinde ſingulæ à ſingulis oves, nec plures, ſunt miſſæ; quod eo nimirum ſpectat, ut intelligamus, eum, qui in Chriſti ovibus numerari deſiderat, unum ac ſimplicem debere eſſe, nec cum aliqua alia cupiditate copulatum atque conjunctum. etenim, qui, pluribus ac diverſis cupiditatibus deditus, varias rerum inter ſe diſſimilium formas & imagines refert, hic non tam ovis dicendus eſt, quam monſtrum, ex contrariis diverſiſque, inter ſe repugnantibus, naturæ ſtudiis conflatum atque compactum. quonam igitur ore, qui ſit talis, aliquem inter Chriſti oves locum ac numerum poſtulet? unica erat ovis illa, quam paſtor hic bonus repertam, atque in humeros ſuos impoſitam, in ovile reportavit.

EUSEB. Vt, te dicente, in mei notitiam revocor! ut diſtractum in varias cupiditates meum animum, tanquam oculis, cerno! quem cum aſpicio, fateri cogor, me eſſe illud monſtrum, quod dicis. nam multum ex me, divitiarum ſibi amor attribuit, multum formæ augendæ ſtudium uſurpat; plurimum vero, aliarum pene innumerabilium humanarum rerum cupiditates excerpunt. Sed perge, quæ reſtant, exponere, ut mihi plane nota fiam.

PHRON. Rem magnam aſſequeris, ſi ad tui notitiam perveneris. quotus enim quiſque eſt, qui ſibi ſit notus? Tertio, inauris una, ſingulis ovibus accedebat.

EUSEB. Quid eſt hoc? cur hic ovibus illis ornatus eſt additus? at, rationis totius ignaris, ridiculus videri poſſit. quis enim, etiam ſi ſit Craſſus (qui propterea quod nunquam riſiſſet, Agelaſtus vocatus eſt, ut de patre meo audivi,) riſum teneat, ſi ab ovibus inaures pendere conſpiciat? quamobrem exſpecto, dum hujus mihi rei rationem, tanquam aliquod myſterium, enuncies.

PHRON. Tanta ac tam neceſſaria huic rei ratio ſubeſt, ut nulla, ne excogitari quidem major vel utilior poſſit. nam, qui ad ovile Chriſti properant, nec aliquem ejuſ-

ejuſmodi ornatum afferunt, omnes ad illud aditus obſeſſos atque adeo interclusos invenient. ſit aliquis; quantumvis innocens, manſuetus, ſimplex; ſit aliarum omnium virtutum princeps; ſi non hoc, de quo diximus, ſit aurium ornatu excultus, nullum inter Chriſti oves numerum ac locum inveniet. nam, quod illuſtrius, quod ſpecioſius, quod utilius, cuipiam poteſt ornamentum accedere, quam ſi inde, ubi ab auribus perforatæ ſunt ad animum viæ, onus aliquod pendeat, quod latiores ædes aurium faciat, ut per eas divina præcepta facilius commeare in animum poſſint? ita enim Chriſti ovibus adjuncta atque adeo conglutinata obedientia eſt, ut ab iis ſeparari non poſſit. at, quod ita pluribus ex partibus componitur, ut unum ex iis exiſtat, ſi eas partes dirimi ac ſecerni contingat, illud continuo intereat neceſſe eſt. nam interitus, eſt quaſi diſceſſus & ſecretio & diremtus earum partium, quæ junctione aliqua tenebantur. ne multa; ſimul ac quiſpiam ſe à Dei obedientia ſejunxit, continuo ab ejuſdem ovium ratione numeroque diſtraxit. Dei oves erant illi, unde, tanquam à capite, fluxit genus humanum; ſiquidem *populum paſcua ejus*, & *oves manus ejus*, illos David appellat. at ii poſt acceptum primævæ innocentiæ donum, quippe quod ab obedientia ſejunctum eſſe non poſſet, ſtatim divinorum mandatorum oneri humeros ſubjecerunt, ſi onus eſt appellandum, quod cum lætitia feras ac voluptate. voluit enim Deus, obſequentis unius cujuſque ipſorum animi, periculum facere, cum præcepit eis, ut ex omni ligno Paradiſi comederent, de ligno autem, ſcientiæ boni & mali, ne comederent. atque utinam obedientiam à ſe nunquam abjeciſſent; non enim eſſent adverſariorum noſtrorum greges, prope in immenſum aucti, ac Chriſti oves ad tam exiguum numerum paucitatemque redactæ. ſumma denique huc redit, ut intelligamus, primam Chriſti ovium laudem, eſſe obedientiam; qui Chriſtus, hoc loco, *Oves meæ*, inquit, *vocem meam audiunt.*

Euseb. Quoties, miſera, Dei obedientiam relinquendo abjiciendoque, ab ejus me ovibus abſtraxi atque ſejunxi! faxit ille, ut ita deinceps ſim obſequens obediensque divinis ſuis imperiis, ut ne digitum quidem ab eorum

rum præſcripto diſcedam. ſed age, cur ſingulis ovibus inaures, neque eo amplius, datæ narrantur? nonne fuerat pulchrius, atque ad aſpectum jucundius, ſingulis binas, pro numero aurium, adjungere?

Phron. Quoniam hac in re nobis, qualis noſtra erga Deum obedientia eſſe debeat, in oculis prope defigitur. ideo enim ſingulæ, non plus una inaure, decorantur, quod una, non multiplex, noſtra eſſe obedientia debeat, quæ tota ſoli Deo exhibeatur, nec cum Dæmone aut cum aliis dominis communicetur. in quo eorum ſtultitia atque error arguitur, qui ſua habent ſtudia in plures diſtracta atque diviſa, quorum aliam ſibi partem vendicant divitiæ, ut de te paulo ante fatebaris, aliam honores uſurpant, præcipuam voluptates arripiunt, ac vix tenuis eorum particula Deo, ſi accipere velit, aſpergitur. hac præſertim infamia, improba illa Iudæorum natio laborabat, quæ, impuris Ethnicorum ſuperſtitionibus vehementer addicta, Dei etiam cultum ſe retinere poſſe arbitrabatur; quorum ineptam rationem, vel potius impiiſſimam ſtultitiam, Elias hoc argumento convincit: *Vſquequo claudicatis in duas partes? ſi Dominus eſt Deus, ſequimini eum; ſi autem Baal, ſequimini illum.* in eodem luto volutantur ii, qui, cum nihil cupiditatibus ſuis denegent, à Dei tamen obedientia non receſſiſſe ſe putant. ſed non eſt ita; nam, quicunque in hujus obedientiæ ſocietatem venit, is continuo à te Deum abalienavit, teque in contumacium, minuſque Deo obſequentium, numerum turbamque conjecit.

Eusеb. Nunc mirari deſino id quod antea mirabar, unam, non plures, earum ovium auribus inaurem pependiſſe.

Phron. At, refert intelligere, qualis hic aurium ornatus extiterit. Etenim non conſtitiſſe perhibetur ex ferro, neque ex aliqua alia materia, ſed conflatum narratur ex auro, metallo omnium, quæ ex terræ viſceribus eruuntur, pretioſiſſimo nitidiſſimoque. quod ſi referatur ad obedientiam, quæ Deo præſtanda ſit, quid nam aliud ſignificat, niſi auream eam eſſe debere, non ferream, hoc eſt, non vi metuque expreſſam, ſed illuſtri aureoque caritatis ardore conciliatam. quod etiam aurea illa Chriſti

verba,

verba, paulo ante à me recitata, demonſtrant: *Sicut novit me pater & ego cognoſco patrem; & animam meam pono pro ovibus meis.* quid enim uſque eo obſequentem Patri eum reddidit, ut ſe in humanas miſerias immitteret, ut in Iudæorum odium irrueret, ut denique pro nobis non dubitaret vitam offerre, nec capiti ſuo parcere, niſi amor, quo arctiſſimo individuoque Patri vinculo implicabatur? Solus ille, quem amor obſequentem fecit, obedientiam non abjicit; ſolus ille, quem Deo, virtutis voluntas ſtudiumque, conjunxit, nulla vis ab eo divellit: quem vero metus, non diuturnus magiſter officii, in obedientia continuit; amoto metu, obedientiæ clauſtra refringit, ac libidinibus ſuis latum, ad egrediendum in omne nefas, aditum aperit. utinam non tam multa hujus rei exempla ex omni memoria proferre poſſemus. ſed, omiſſis ceteris, ſola Eva contenti erimus. hæc omnibus documento debet eſſe, quantum interſit, ad obediendum divinis mandatis, amorem potius magiſtrum adhibere, quam metum. nam tam diu illa fax, unde humanum genus conflagravit, concupiſcentiæ flammis, non exarſit, tam diu illa, calamitoſa poſteris ſuis, generis noſtri origo, quam Deus, libera voluntate præditam, ut ſibi dicto eſſet obediens, effinxerat, in officio permanſit, quam diu, minacem illam edictionem Dei, in memoria retinuit, *De ligno boni & mali ne comedas, in quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* at, poſtquam nefaria ſerpentis voce illa, *Nequaquam moriemini*, ab hoc metu dejecta eſt, illico divina mandata contemſit, ac pro nihilo habuit. id quod nobis malorum omnium initium fuit.

Euseb. O mulierem incogitantem ac levem! ô parentem, ſibi poſteriſque ſuis longe pernicioſiſſimam! ô exſecrandam ejuſdem contumaciam, calamitatum noſtrarum omnium ſegetem! ut proſerpenti illi beſtiæ male ſit, cujus illa inſidiis delapſa eſt in eam fraudem, tam ſceleratam tamque impiam; quæ tot tantoſque in nos mali montes attraxit, &, quod caput eſt, moriendi neceſſitatem invexit.

Phron. At tantam, ab ea muliere, nobis plagam inuſtam, eſt deplorare, quam removere, facilius. &, quoniam, quod factum eſt, infectum fieri nequit, linquamus

 que-

querimonias, & ad Chriſti oves revertamur. quas, quinque notis ac ſignis, à ceteris dignoſci narravimus. at, ſunt aliæ oves à quibus depaſci infernos agros, autor eſt David; qui, *Sicut oves*, inquit, *in inferno poſita ſunt*, *mors depaſcet eos*, & Auguſtinus, paululum immutatis verbis, *mors*, inquit, *paſtor eſt eis*. ſed nullus eſt paſtor hoc nomine, niſi humani generis hoſtis, propterea quod ſua mors fraude omnes ex Eva natos invaſerit, eoſdemque una atque eadem moriendi neceſſitate comprehenderit. quemadmodum etiam Chriſtus ex eo vitæ nomen invenit, quod, devicta morte, obſtructum nobis vitæ aditum aperuerit.

Euseb. O præclarum paſtorem ovium Dæmonem! ô miſeros illos, quos intra ſuum ovile concluſos habet! nam, quid ab eo aliud exſpectare, niſi damnum, perniciem, ac ſempiternum exitium, poſſunt? Sed exſpecto, dum tu mihi iſtarum etiam ovium ſigna ac notas expedias.

Phron. Non eſt difficilis hujus rei inveſtigatio. nam primum, omnes illi ſe de Chriſti ovium numero eximunt, qui, recto itinere relicto, novam ſibi viam aperiunt ac muniunt; quæ via, regius vates ait, *ſcandalum eſt ipſis*, hoc eſt, peſtem, exitium, & interitum affert. neque ejus rei ratio ex obſcuris rerum naturæ latebris eruenda eſt, ſed in luce atque in aperto verſatur. nam, quid ovis, quæ de recto itineris curſu deflexit, ſibi reliquum eſſe intelligat, niſi errores, præcipitia, latronum ac luporum incurſus, denique exitium ac peſtem? atque in hoc etiam deterior ovium, quam ceterorum animantium, conditio reperitur, quod reliquæ pecudes ſua ſponte, ac nemine monſtrante, quam reliquerant, viam, repetunt ac fortiter ineunt; at oves, ſi ſemel eas errare contingat, omnem ſibi ſpem reditus præcidunt adimuntque; neceſſe eſt, ut quærantur, inveſtigentur, inveniantur, inventæ, in paſtorum humeros rejectæ, ad ovile reportentur. omnibus iſtis incommoditatibus, certum eſt, conflictari eos, qui, Chriſti grege relicto, maximis ſe ſe erroribus implicaverint. nam prædonum infernorumque hoſtium furoribus patent; viarum aſperitatibus, præcipitiis, aliiſque periculis expoſiti, de omni ſpe reditus dejiciuntur.

ſciuntur. quamobrem, miſer ille peccator, qui, ut eſt in ſacris litteris, Deum ſibi propitium orabat, his verbis, *Erravi ſicut ovis; quare ſervum tuum Domine*, profectò, divino lumine illuſtratus, quo loco res ſuæ eſſent, intelligebat; nimirum, non poſſe ſe, ex labyrintheis illis erroribus ac flexibus, in quibus verſabatur, in viam recipere, niſi errabundi ipſius pedes, divinæ miſericordiæ præſidio, tanquam filo, regerentur, vel inde, Dei manibus arreptus, extraheretur.

EUSEB. Ego, non nunc primum audio, ſed alias ſæpe legi, ac de ſapientiſſimis hominibus accepi, quos Chriſtus ad regni cæleſtis faſtigium evehendos elegit, ovis nomine afficere. at, ſi cum ovibus in comparatione junguntur, alterutrum eſt neceſſe, vel, ut, quæ in eis reprehendis, reprehenſione digna non ſint, vel, quos Chriſtus, è reliquo mortalium cœtu ſegregatos, eximios habet, iiſdem eſſe vitiis affines, in quibus oves deprehenduntur.

PHRON. Neutrum eſt horum. non enim omnia, quæ in ovibus cernuntur, virtutis laudem obtinent: ſed quatuor in primis, vitii rationem habent, quæ præſertim notantur in iis, qui ſe Dæmoni, velut oves, aggregarunt. quorum primum eſt illud, de quo antea diximus, quod oves, ſicuti etiam peccatores, erroribus implicatæ, ſe ab eiſdem explicare non poſſint; ſed paſtore egeant, à quo revocentur in viam. alterum ovium vitium eſt vel maximum, quod lætis atque florentibus pabulis admotæ, ab eiſdem divelli non poſſint. ita etiam, qui, ſuavia tantum quæ ſunt, in præſentia cogitant, expetunt, quærunt, uno verbo omnes, qui ad Dæmonem ſpectant, in rebus lætis & ad voluntatem ſuam fluentibus, ſe totos fundunt; quamobrem, cum libidinoſum, avarum, ambitioſum, nullis voluptatibus ſatiari, nullis opibus ac divitiis expleri, nullis honoribus ſaturari, cernis, quid cauſæ dicas, cur eos, inter infernas oves, ſemper hiantes, ſemperque imminenti cupiditate feroces, numerandos eſſe non cenſeas? Tertio, ſunt oves, hac etiam vitii nota inſignes, quod pertinacem, erga paſtorem ſuum, contumaciam exercent. duabus enim in rebus oves paſtoribus non obtemperant; primum, cum, pavore correptæ, ſe fugæ committunt; deinde, cum in agrorum viriditatibus paſtioni,

ſtioni, cujus nulla unquam ſatietate tenentur, indulgent, duabus hiſce in rebus, paſtoribus dicto audientes non ſunt. hoc item vitio cumulatæ ſunt omnes Dæmonis oves, hoc eſt, improba peccatorum natio redundat. nam incidunt duo ſepe tempora illis ſimilia, cum peccator Deum, maxima quantumvis voce clamantem admonentemque, non audit; vel, cum ab eo calamitatibus premitur, vel ſecundis rebus afficitur; etenim, nullis divinis monitis atque præceptis adduci poteſt, ut æquam in utroque tempore mentem, & æquitatem animi, ſervet, ſed, mire percontumax, in illis animum abjicit, in his, quantum poteſt, extollit.

Euseb. Quantum verba tua audio, omnes fere virtutes, quibus Chriſti oves præditas eſſe, ſacrarum litterarum autoritate conſtituitur, ad ſolam obedientiam revocari poſſe videntur. nam, ſi me comparaverim, Chriſti vocem audire, hoc eſt, divinis præceptis obtemperare, continuo, omnem mihi præciderim licentiam libertatemque vivendi, tum, ne latum quidem unguem à recta rationis via deflexerim, tum etiam, non vi nec ingratiis, ſed mea voluntate, ſed ſponte, me ad Chriſti ductum applicaverim; poſtremò, omnia perſequar, quæ in veris Chriſti ovibus requiruntur.

Phron. Ingenio te eſſe perſpicaci atque acri, comperio; nam probè rem tenes. in hac enim obedientia, quam dicis,, ferme ſunt omnia. ſed, ut ad inſtitutum ſermonem revocetur oratio, concionator meus quiddam attulit, quod me incredibiliter delectavit; idque, non ſuo ingenio partum, ſed ex libris Moralium D. Gregorii excerptum eſſe fatebatur. nimirum, veras ac germanas Chriſti oves, divinis juſſis atque mandatis ad obedientiam provocatas, interdum prohiberi aliquid addere de ſuo, ac, ſi addiderint, obedientiam illam caſſam & inutilem eas reddere, ſeque inter contumaces improboſque rejicere. quod tum accidit, cum, opibus, honoribus, ac divitiis, à Deo locupletati, & tanquam juſſi eas adminiſtrare, ſtatim auctarium illis de noſtro adjicimus; videlicet, voluptatem, lætitiam, elationem animi; hæc enim noſtra ſunt; quo fit, ut obedientiam noſtram, ſi quam exhibemus, jugulemus ac perimamus. Egregius in hoc genere obedientiæ,

dientiæ, inventus eſt Moyſes, qui, juſſus à Deo, populi ſui tuendi moderandique tanquam habenas accipere, excuſavit difficultatem ac magnitudinem muneris; quod videlicet majus eſſet illud onus, quam ferre ipſius vires poſſent; ad hæc addidit, nulla ſibi à natura data fuiſſe adjumenta rerum gerendarum; præſertim quod eſſet elinguis, atque adeo inſans. Interdum verus obediens, dignuſque qui Chriſti ovium numerum augeat, ad ea, quæ imperantur, aliquid de ſuo, tanquam cumulum, addat oportet; ac, ſi nulla fiat acceſſio, omnis ejus obedientiæ vis, tanquam arbor nullis aquarum inductionibus irrigata, exareſcet, nec ad maturitatem fructumque perveniet.

Eusеb. Quæ nam ſunt iſta divina imperia, quæ, ad eorum ſummam, aliquem à nobis cumulum poſtulent, quo perfecta obedientiæ noſtræ ratio conſtet?

Phron. Sunt omnium perpeſſiones malorum & ærumnarum, quæ homini contingunt in vita. quarum nemo adhuc inventus eſt qui fuerit expers. nam ſimul ac de utero matris egreſſi communem hanc lucem aſpicimus, ſuam quiſque malorum partem accipere, ſibique cum eo additamento, quod dicimus, in humeros jubetur imponere. iſtud autem additamentum non tibi petendum eſt foris; domi habes, quod large, quantum velis, adjicias. cui enim non ſuppetit alacris, ad ea, quæ mala putantur eſſe, fortiter perferenda, voluntas & ſtudium? at hoc eſt malum illud, quod ad malum acceſſitur.

Euseb. Quid? tu malum vocas, alacritatem animi & fortitudidem in rebus aduerſis?

Phron. At ego jocabar. quamvis non ſit res minimi laboris, immo multæ ſit operæ; animum firmare, atque ad moleſtiarum onera ferenda robuſtum efficere.

Euseb. At, ſi onus oneri addas, non ne illud gravius & intolerabilius efficias?

Phron. Non valet hæc ratio in hoc onere, neque in hoc additamento, quod loquimur. non enim eſt aliis auctariis ſimile, ſed ab eis longe diverſum. hoc enim, onus, cui additur, levat, illa gravant; hoc mitius illud efficit, illa intolerabilius reddunt. adde hanc alacritatem miſeriis quibus premeris; magnam illico moleſtiarum, quas ſecum

affe-

afferunt, partem tibi præcideris. Paulus Apoſtolus, ab Agabo præmonitus, quod Hieroſolymis vinctus rapiendus eſſet in carcerem; ita enim Dei voluntatem, ita ejus imperium ferre; audi, quam large, ad ea quæ imperabantur, de ſuo adjecerit. *Ego*, inquit, *non ſolum alligari, ſed & mori, in Ieruſalem paratus ſum, propter nomen Domini Ieſu.*

EUSEB. Quam longo intervallo nos infra Pauli Apoſtoli ſapientiam ac magnitudinem animi invenimur! etenim, non modo aliquem calamitatibus noſtris cumulum addere nolumus, verum etiam plurimum de illis detrahere nitimur, ac, ſi fieri poſſit, omni eas moleſtia exhaurire conamur.

PHRON. Poſtremo, hæc, quæ diximus, Dæmonis ovium vitia, vitioſa atque inutili quadam formidine, ex odio mortis concepta, cumulantur atque complentur; quod nullam putant eſſe vitam, niſi hanc, quæ mors potius eſt dicenda quam vita. quamobrem, ejus ſemper amittendæ metu cruciatuque torquentur; quilibet illis morbus formidoloſus eſt; quilibet defuncti aſpectus horribilis; quælibet mortis cogitatio odioſa. in quo mire cum ovibus congruunt; quæ naturali quodam metu adductæ, omnia habent ſuſpecta, omnia pertimeſcunt; quid multa? prætereuntis aquæ murmur, lenis auræ ſibilum, metuunt; ipſam etiam fidam canum cuſtodiam, interdum, timoris & fugæ cauſam habent. atque hunc à nobis metum ſummus ille concionator eſt conatus dejicere. nam acri ac vehementi oratione clamabat, inanes eſſe has mortis timiditates, inutiles hos vitæ mortalis amittendæ metus; tum addebat, nos trepidare ubi non ſit timor; immo illud terrori eſſe quod deberet eſſe in amore atque deliciis. contra, Chriſti ovibus evenire ajebat, magiſtri ſui voce edoctis; in cujus ſapientiſſimis placitis hæc in primis numerantur; videlicet, non eſſe metuendos eos qui occidunt corpus; tum eos animam ſuam diligere, quibus illa odio ſit; deinde, mortem non eſſe extremum omnium malorum; quin etiam, in hoc luctu in quo jacemus, in his fluctibus quibus agimur, in his calamitatibus quibus premimur, tanquam navigationis portum, ærumnarum requiem, æternæ ac bonis omnibus affluentis vitæ initium. concupiſcen-

cupiſcendam, ac votis omnibus expetendam eſſe. Hæc ſunt, quæ ex eâ concione memini. quæ, ſi tibi probantur, magno eſſe uſui poſſunt ad id, ut intelligas; utrum ad Chriſti oves, an ad alium gregem paſtoremque pertineas. Vale.

EUSEB. Immo ea mihi vehementer placent, ac magnas tibi & concionatori tuo gratias habeo, quorum opera, hæc tam egregia, & ſaluti noſtræ in primis utilia ac neceſſaria, percepi. quæ, quoad ejus fieri poſſit, mihi elabi non ſinam, ſed memoria comprehenſa ac cuſtodita in perpetuum habebo. tu viciſſim cura, ut valeas.

Digitized by Google

DIALOGVS TERTIVS.

IANVS NICIVS ERYTHRÆVS longe optimo doctiſſimoque Viro, GABRIELI NAVDÆO S. P. D.

NOn ea in me vis fuit, ut retinerem hunc Dialogum, quo minus ad te veniret. ſocius eſt, atque adeo gemellus, illius, quem primum tibi miſi. ambo enim eodem argumento ſcripti ſunt, atque uno eodemque partu editi; quo nimirum tempore, peſtilentia totam fere Italiam miſerabili clade vaſtabat: latebat, ſicut ille prior, in tenebris, ac lucem formidabat; ſed, ubi illum ex tenebris emerſiſſe in lucem comperit, animoſior factus prodiit ipſe quoque, ut ad te iter arriperet, ſeque fratri conjungeret. multa quidem dixi quibus hanc illi tam dementem cogitationem eriperem; ſed laterem lavi; meis enim precibus & admonitionibus aures habuit obſtructas. quamobrem fuit mihi neceſſe, fores ædium aperire, ac liberum eidem exeundi, atque ad te perveniendi, aditum patefacere. venit igitur, me invito ac repugnante. quod ſi cupidius ab eo factum exiſtimas, ſummæ tuæ humanitati, qua ſuperiorem amplexus es, culpam aſſigna; ſin arrogantius, rejice illum abs te, neque patere tibi in conſpectum prodire. Valetudinem tuam cura diligenter; nam intereſt Reip. te, ob ſummum ingenium, quam diutiſſime ſalvum & incolumem eſſe. Kal. Ianuar. CIↃ IↃC XL.

CVR

CVR DEVS MALOS ESSE PATIATVR.

SPUDÆUS. THEOTIMUS.

SPUDÆUS.

SAlve, Theotime. quid agitur?

THEOT. Salve, ô Spudæe. quo nam te agis, hoc diei tempore tam moleſto? nam, ut de ſole conjicio, jam meridies proxime videtur accedere.

SPUD. Ego tibi fortaſſe moleſtior, quam meridiani temporis calor, intervenio.

THEOT. Cave, iſtuc ex te audiam. tuus mihi ſemper adventus gratiſſimus ac jucundiſſimus accidit.

SPUD. Ego me domo ejeci, quo ſomno eriperem; quem, non tam doctus, quam expertus, didici, ſemper, à prandio, capiti infeſtum accedere. ac venio ad te, cui pomeridianum tempus, æque ac mihi, eſſe infenſum intelligo. ſed unde hic epiſtolarum acervus?

THEOT. Modo allatas Mediolano ad me epiſtolas legi.

SPUD. Quid novi afferunt? jam ne vis illa peſtilentiæ, quæ tam ſæve debacchabatur, remiſſius agit?

THEOT. Immo latius in dies ſerpit, &, quocunque invadit, innumerabilem hominum multitudinem vita devolvit. ac, ſi tantum hoc mali, anni tempus grave, vel cæli intemperies peperiſſet, ſane eſſet ferendum: verum, quia, ut ajunt, hominum crudelitas ac malitia detulit, ſupra quam dici poteſt acerbum & intolerandum videtur.

SPUD. Ain tu, homines malos tantam, in eam civitatem, miſeriarum molem invexiſſe? qui nam obſecro, fuerunt iſti? peregrini, an cives?

THEOT. Æque peregrini ac cives (ita dici audio) in ejus civitatis perniciem conſpirarunt. nam peregrini peſtem, cives etiam venenum intulerunt. ſed longe infeſtio-

res patriæ ſuæ hoſtes inventi ſunt cives, quam peregrini. multo enim plures, ut ajunt, venenum, quam peſtilentia, ſuſtulit.

SPUD. Audieram equidem, Mediolanum peſtilentia prope vaſtari; ſed de veneno nihil acceperam. quamobrem, quid hoc monſtri ſit, fac me quamprimum ut ſciam.

THEOT. Rem tibi narrabo, ſicuti à quibuſdam accepi; quæ utrum vera ſint nec ne, definire non audeo. Hæretici quidam, ut ajunt, ſanie, ex affectorum hoc morbo puſtulis, abraſa, domorum poſtes, peſſula, atque ea quæ tangi frequentius ſolent, inunxerunt: hæc qui tetigit, non ipſe modo peſtilentia correptus eſt, ſed alios etiam infecit; qui deinceps alios corruperunt; adeo ut brevi tota civitas infecta ſit. at venenum, quavis peſtilentia infeſtius, ex bufonibus, humano ſanguine ac lacte imbutis, viperis, aliiſque virulentis ex rebus effectum, populares ipſi invenerunt; cujus ea eſſe vis dicitur, ut, momento pene temporis, animam adimat. eoque, non ſolum poſtes, vaſa, ac celeberrima urbis loca, perunxerunt, verum ex eo etiam vias aſperſerunt, ut, qui veſtigium in eis fixiſſet, exſtingueretur. hac ratione multa hominum millia intercepta fuiſſe narrantur.

SPUD. O ſcelus! ô facinus! hoc ſi verum eſt, nullum ante hac ſeculum extuliſſe arbitror homines, adeo ſævos, adeo inhumanos, adeo feros, ut in necandis, animi gratia, hominibus, atque adeo in delendis integris civitatibus, libidinem ſuam exercuerint.

THEOT. Erras. nam apud Titum Livium, hiſtoricum graviſſimum, ante annos bis mille, idem in hac urbe factitatum invenies, &, quod mirabilius videatur, non à viris, ut hoc tempore, ſed à matronis, ſummo genere natis; quæ (quamobrem, neſcio,) venenis operam dabant, ut Roma fieret viris inanis ac vacua.

SPUD. Id ego ante hunc diem nec audivi nec legi. quæſo, ne graveris, totam rem mihi breviter, ſicut ea proditur, tradere.

THEOT. Nihil poteſt eſſe mihi grave, quod te cupere intelligam. ſed velim, poſſe me rem tantam iiſdem verbis, quibus Livius utitur, exponere: ſed non ſum tanta memoria,

ria, quanta non nulli, quorum animis, quod ſemel infuſum eſt, non poteſt effluere. verum, quoquo modo potero, tuis ſtudiis obſequar. M. igitur Claudio Marcello & T. Valerio Coſſ. cum plurimi civitatis, conſimili morbo correpti, perirent, atque ejus morbi cauſa in intemperiem ejus anni rejiceretur, ancilla quædam Q. Fabium Max. Ædilem curulem adiit, ac, Si mihi, inquit, fides publica detur, indicium, quod delatura ſum, noxæ non fore, publicæ peſtis cauſam aperiam. Fabius, rem ad Conſules, Conſules ad Senatum referunt. jubetur ancilla, quæ de peſtilentia ſciret, edicere. illa eam vim peſtilentiæ, ait, venenis, muliebri fraude confectis ſparſiſque contingere; ac, ſi ſequi ſe velint, fore, ut tanti facinoris reas, manifeſto in flagitio, deprehendant. ne multa; illi obtemperant, ſequuntur, domos intrant, atque earum aliquas inveniunt. medicamenta quædam alia, ignibus coquere, alia excocta conſtruere atque recondere; continuo ea corripiunt, in forum deferunt, exponunt; matronæ, ad viginti, per viatorem evocantur; adſunt duæ earum, patricii generis, Cornelia ac Sergia; quid illud eſſet, quod excoxiſſent, interrogantur; reſpondent, medicamenta eſſe ſalubria. Cur non, inquit ancilla, ſi ſalubria ſunt, ipſæmet ſumitis, meque mendacii coarguitis? illæ, ſpacio ad deliberandum ſumto, ac cum ſociis facinoris ſecreto collocutæ, revertuntur; venenum, ab ipſis factum, accipiunt, vorant; neque ita multo poſt, ad unam omnes, intereunt.

SPUD. O facinus Romano genere dignum! ô animos mulierum imperterritos! nimirum maluerunt mortem ſibi ipſæ conſciſcere, quam, crimen confeſſæ, carnifici, per dedecus, tradi.

THEOT. Poſtremo, earum comites, comprehenſæ, magnum matronarum numerum indicaverunt; ex quibus ad CLXX damnatæ.

SPUD. Fieri ne potuit, ut tanta in hominum animis perverſitas, ſive potius feritas, ineſſet? ſed quid inquam feritatem? feræ enim, unde feritas dicta eſt, neminem plerunque, niſi laceſſitæ, aggrediuntur; iſtæ vero, nullis impulſæ inimicitiis, nulla privatim læſæ injuria, nullo accepto incommodo detrimentoque provocatæ, fortaſſe

etiam affectæ beneficio, in homines, bene de ſe meritos, aſpere crudeliterque deſævierunt. jam, quo nomine inſignem iſtarum crudelitatem appellem, quibus verborum contumeliis, immanem iſtarum naturam exagitem, quibus ſuppliciis, tanti facinoris gravitatem, dignam eſſe dicam, non invenio.

THEOT. Adeo ea res veteribus illis nova, adeo ſimilis portento viſa eſt, ut ea potius captæ mentis error, quam conſcelerati animi crimen, habita ſit. quamobrem, quod olim, in ſeceſſione plebis, quam hominum inſania contigiſſe putabant, factum fuerat, inſtauratum eſt. itaque Dictator Cn. Quintilius creatur, qui, ſolemnibus quibuſdam cærimoniis, clavum figeret. hoc enim piaculo, alienatas mentes, ſui compotes fieri exiſtimabatur. qui, fixo clavo, magiſtratu ſe abdicavit. at mea eſt opinio, hæc atque alia ingentia facinora, à cupiditate potius, quam ab aliqua mentis diſceſſione, ortum habere, ac citius, ſceleratorum ſupplicio, ceteros in officio retinendos, quam clavis, parieti affixis, mentes hominum, ne exeant, tanquam fugitivos ſervos, in compedibus eſſe habendas.

SPUD. Cur hoc genus hominum, tam improbum, tam perfidioſum, tam impium, atque ad ſummum nequitiæ perductum, terra ſuſtinet? cur dehiſcens non imis viſceribus excipit? vel, ſi tam nefariam eſcam non poſſet excoquere, ac proinde foras evomeret, cur non æquiſſimus judex Deus, de cælo tactos, in nihilum redigit? atque paulo ante, quam ad te venirem, id ipſum mecum cogitans ſtomachabar, ac quærebam, quid eſſet, cur Deus homines nequiſſimos, ac ſcelerum omnium principes, tam diu pateretur impune, in hominum innocentium fama, vita, atque fortunis, tam inſolenter debacchari. tu, velim, pro tua ſingulari humanitate, quid ſuper hac ipſa quæſtione ſentias, exponas. ita enim utriuſque noſtrum oculos à ſomni vinculis exues, & ſimul hujus dubitationis tanquam laqueis mihi mentem implicatam expedies.

THEOT. Quod Deus malos eſſe patiatur, nec ſtatim repetat ab eiſdem ſcelerum pœnas, primum divinæ ipſius juſtitiæ, tum miſericordiæ, poſtremo ſingulari ejuſdem providentiæ, referendum eſt acceptum.

SPUD. Ad miſericordiam quod attinet, tibi ſubſcribo. ſed, quem locum habeat juſtitia, in protrahendis ſcelerum pœnis, cujus eſt delicta quamprimum vindicare; quem locum providentia, in malis non repellendis, quæ (ſiquidem generi hominum conſulit) debet omnes bonos efficere nec mala ulla perpeti, plane non video.

THEOT. Nihil eſt, quod tam facile expedire poſſimus. ſi Rex vel princeps aliquis habeat in vinculis reum, multis magniſque criminibus accuſatum; num antea de eo ſupplicium ſumat, quam, multis teſtibus, ac ſua demum confeſſione, evictus, perſpicuam omnibus ſuam improbitatem efficiat? minime; eſſet enim id valde alienum à ratione judicii. ita etiam, non antea Deus pœnas à peccatoribus repetit, quam manifeſto, ab omnibus, eorum improbitas teneatur. deinde, non ne æque ad juſtitiam pertinet, benefacta hominum præmiis ac muneribus proſequi, ac malefacta eorundem, pœna ſupplicioque, conſtringere? quod cum ita ſit, quis eſt adeo profligatus ac perditus, quis adeo vitiis omnibus coopertus, ut non multa interdum, cum aliqua probitatis juſtitiæque laude, gerat? ergo his pro benefactis, longa eidem vita, multiſque bonis referta, tanquam merces præmiumque, perſolvitur. alienum quippe eſſet à divina juſtitia, honeſta ac laudabilia ſine mercede dimittere. poſtremo, cum Deus improborum ſupplicio dieculam addit, non tam, recte ipſorum factis, quaſi gratiam refert, quam ſuo ipſius honori & gloriæ conſulit. quid enim tam ejus nomen illuſtre, apud omnes gentes & populos, reddit, quam divinæ ipſius patientiæ ſplendor ac lumen? hæc ejus patientia, in Herode, Pilato, Iuda, ceteriſque ſuis hoſtibus, ferendis tolerandiſque, quamvis jam tum in damnatorum numerum rejectis, laudatur, & obſtinata ac pertinax eorundem, in ipſo perſequendo damnandoque, perfidia in honorem ejus bonitatis aſpicitur. Satis, ut arbitror, explicatum habes hunc locum de juſtitia.

SPUD. Ego vero, & copioſe quidem. perge ad reliqua; hanc tibi operam do.

THEOT. Quod ſequitur, de miſericordia, in ſceleratos ac perditos homines, Dei, tua jam eſt confeſſione perſpicuum. quis enim, cum videat, improbos à Deo tole-

rari, nec ſtatim de medio tolli, non continuo divinam ejus miſericordiam admiretur atque ſuſpiciat? videt Deus, ſupplicia, quæ commeruerunt, eſſe maxima, intolerabilia, æterna: itaque, captus miſericordia, diem ex die ducit, & , quoad ejus fieri poteſt, eorumdem eos perpetuitati acerbitatique ſubducit.

Spud. Pœnitet me, quod tibi conceſſerim, longam improborum hominum vitam, divinæ bonitati miſericordiæque referendam eſſe acceptam. nam, cum rem attentius conſidero, invenio, Deo ſumme irato id illis contingere. etenim, ſi improbus, nova ſemper peccata perpetrando, ut ait Apoſtolus, *theſaurizat ſibi iram in die ira*, hoc eſt, pœnarum acervo, quem ſtruxit, aliquem ſemper cumulum addit, potius divinæ miſericordiæ partes viderentur eſſe, in ipſo eum aditu veſtibuloque vita devolvere, ne, peccata peccatis addendo, ſupplicium ſuum acerbius & intolerabilius efficeret.

Theot. Immo, per hanc rationem, maxima, divinæ juſtitiæ, injuria imponeretur. eſſet enim illi contrarium maxime, ſi eum, cui corpus optime conſtitutum, ac præterea animum libertate præditum, tribuiſſet, nec vita frui nec libertate, quam illi dediſſet, uti permitteret. eſt enim Dei in primis proprium, qui, ut legitur in Sapientiæ libro, *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter*, nullam vim, rerum naturis afferre, ſed ſinere unamquamque, quo eam ſua vis ferat, excurrere. per hanc rationem licebit ei, cui optimus à natura corporis habitus ac liberum ſui ipſius imperium contigit, & vitam longam exigere, &, quod ſibi libeat, efficere.

Spud. Nihil habeo, quod dicam. perge, ut cœperas.

Theot. Magnum etiam divinæ in ipſos miſericordiæ argumentum eſt, quod eos tantiſper hujus lucis uſura frui patiatur, quoad ſenectus, vel intemperantia, diſſolvat. frequens enim voluptatum uſus, celerem corporibus ſenectutem & interitum affert; adeo ut eadem ſæpe, quamvis ſubito, vel certe paucorum dierum, morbo, exſtinguantur. nimirum, ſumma Dei in omnes homines benignitas, quos æternis apud inferos cruciatibus afficiendos

dos videt, non etiam patitur, diuturni cujuſpiam morbi, vel ſaltem acerbiſſimis mortis, doloribus opprimi, ſed ſimilem reliqui temporis exitum vitæ ſortiri permittit, hoc eſt, moleſtiis ac doloribus vacuum. Id fuerat Iulii Cæſaris Dictatoris votum, qui ad reliquas ſibi felicitates, celerem ac repentinum addi vitæ finem optabat; qui fere illi obtigit ex ſententia. in hac eadem cupiditate inventus eſt ejus filius Octavius; qui, ut Suetonius in ejus vita ſcribit, quoties audiſſet, cito, ac nullo cruciatu, defunctum quempiam, εὐθανασίαν ſimilem precabatur. neque ejus optatis ac votis defuit Deus; nam ſubitum & facilem exitum, & qualem ſemper optaverat, dedit.

SPUD. Id ego etiam ſæpiſſime in multis ſceleratis hominibus animadverti, qui, perpetua fere uſi felicitate, vel ſubita vel inopinata morte, vel tridui aut quatridui morbo ſublati ſunt.

THEOT. Nimirum, miſertus eorum Deus, quos in æterno futuri temporis ſpacio excruciandos noverat, noluit, ad æternas eorum calamitates, hujus etiam vitæ miſerias accedere. atque hæc etiam Dei miſericordia in eo etiam mire ſe prodit, quod malorum improbitatem, otioſam eſſe non patitur, ſed ſervire eam jubet bonorum utilitati & commodo. non eſſet credibile, quantum, ex Chriſtiani nominis hoſtibus, noſtræ res creverint, niſi plenæ eſſent ipſorum litteræ, niſi plena omnis memoria antiquitatis. longum eſt enumerare, quibus, inimicorum acerbitas ſuffragata ſit, ad patientiam, demiſſionem animi, ceteraſque virtutes obtinendas; quarum virtutum meritis cælo recepti, demum, quantum ex hominibus malis boni proveniat, intellexerunt. vinum, fæci adjunctum, incorruptius ac diuturnius integritatem ſuam ſervat. item roſa inter ſpinas germinat, primum incluſa viridi ac faſtigiato cortice, tum paulatim dehiſcens rubeſcenſque, poſtremo in calicis morem extenſa, coronarum uſibus accommodata. nec minore proventu inter malos boni efflorescunt, qui, eorum injuriis vexati, primum ſpe pleni, mentis faſtigium in Deum erigunt, tum, perpetua malorum perpeſſione, tanquam oſtro, rubeſcunt; denique, virtutum incremento aucti, dilatantur, nectendis Chriſti capiti coronis aptiſſimi. illud quoque admira-

bile videri debeat, quod parum eſt divinæ miſericordiæ, uti improbis ad utilitatem bonorum, ſed pergit etiam atque inſequitur longius; nam, ſua ipſorum nequitia, ad ferendam ipſis ſalutem, abutitur. quam multi, divinam, in ipſis tolerandis, patientiam admirati, vel repentino malorum hominum exitu perterrefacti, animum ad virtutem adjungunt! quamobrem fit, ut, adverſus improbitatis virus, pulcherrimum improbitas ipſa remedium objiciat. nihilo etiam minus plerunque, contra ſcorpionum ictus, in ipſis ſcorpionibus, remedium certiſſimum ineſt. quid ſi etiam Deus, ut docet D. Auguſtinus, malos eſſe patiatur, ut à bonis damno maloque augeantur?

SPUD. Id quidem novum auribus meis accidit: ac vix adducor ut credam, poſſe mali aliquid malis, per homines minime malos, accidere. quod ſi utilitates, quæ ab improbis in bonos emanant, videlicet contumelias, inſectationes, injurias, dignas eſſe vis damnatione atque ſupplicio, cur damnum vel malum, quod improbis boni dederunt, mercede ac præmio proſequendum eſſe contendis?

THEOT. Neutrum horum neque abſurdum neque incredibile videri debet. ac primum, quod impiis atque nocentibus, à piis atque innocentibus viris, ſæpe multum noceatur, docet Paulus Apoſtolus, qui ſcribens ad Corinthios, *Chriſti*, inquit, *bonus odor ſumus Deo, in iis qui ſalvi fiunt, & in iis qui pereunt; aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam.* idque etiam ratio ſuadet. nam, qui diligit iniquitatem, is juſtitiam, iniquitati contrariam, odit, perſequitur, exſtinctam eſſe cupit. quamobrem pietatis juſtitiæque cultores, excitant, in improborum animis, ſummum in ipſos odium atque acerbum; quod odium, cum non poſſit à lethali peccato eſſe ſejunctum, æternas in eos, qui illud in ſe conceperunt, pœnas ac ſupplicia convertit. non ne ſingularis Chriſti integritas & innocentia, Iudæorum in ſe odia vehementius exacuit? non ne illa ejus acris ac vehemens vitiorum peccatorumque incuſatio & querela, ſceleratis atque peſtiferis hominibus, quaſdam quaſi verborum faces admovit? idque ab eodemmet Chriſto exauditum eſt, cum dixit, *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent.*

berent. deinde ideo, malorum hominum improbitas, quamvis bonorum utilitati & commodo ceſſerit, pœnâ ſupplicioque conſtringitur; ex contrario, ideo, bonorum ſanctitas, quamvis improbis, ipſorum malitia, perniciosa atque lethalis, præmio donatur; quia, contra ac cogitaverant, fœda omnia utriſque evenerunt. malis enim, propoſitum fuerat, bonis omni ſtudio nocere, bonis vero, malis quavis ratione prodeſſe. quod ſi omnia, quæ ab improbis in utilitatem bonorum proficiſcuntur, præmio afficienda ſunt, jam nulla eorum meritis referri par gratia poſſit, qui Chriſtum in crucem egerunt. unde enim plures atque majores generi hominum utilitates fructuſque, quam ab ea cruce, manarunt? verum, quia exſecrabilis eorum furor, ab implacabili in Chriſtum odio inflammatus, eam illi crucem ſuppliciumque conflavit, ideo nulla tanta eſt apud inferos pœna, quæ digna eorum ſcelere habeatur. ex contrario, ſi bonorum recte facta, ideo quia ab improbis in ſuam perniciem damnationemque trahuntur, digna ſunt pœna atque ſupplicio, cui nam (ſit hoc mihi fas dicere) majus quam Chriſto malum damnumque debeatur? etenim, ut ex Simeonis prædictione declaravit eventus, quam maxima hominum multitudo in eo, tanquam in aliquo mari ſcopuloſo, infeſto, ac perpetuis fluctibus concitato, naufragium libertatis, ſalutis, bonorumque omnium fecerunt. *poſitus eſt*, inquit ille, *in ruinam multorum*. verum, quia, propter nimiam caritatem qua dilexit nos, ſervorum illud ſupplicium adiit, quo acerbiſſimum ſervitutis jugum à cervicibus noſtris depelleret, ideo, dexterâ patrem aſſidens, nomen illud obtinuit, quo audito, ſuperi, terreſtres, atque inferi, confeſtim genua ponant.

SPUD. Iam omnis mihi admiratio conſtitit; neque te abſurda aut incredibilia, ut antea rebar, loqui confiteor, ſed ea dicere arbitror, quæ ſint veritati maxime conſona. nam, quantum audio ex te in præmio pœnaque à Deo irroganda, cujuſvis rei meritum non exitu, ſed ex hominum voluntate, ſive bona ſive mala, ſpectatur. Perge igitur; cupio enim vehementer, ea, quæ reſtant, audire; nimirum, quemadmodum ad divinam providentiam pertineat, malos eſſe, atque inter bonos verſari.

THEOT. Rerum ordo univerſi exigit, ut doctiſſime explicat Thomas Aquinas; ut ad ejus perfectionem, tanquam per gradus, aſcendatur. nam quid eſt ordo, niſi compoſitio rerum, aptis & accommodatis locis? at, ſi omnia uno eodemque gradu continerentur, nulla eſſet rerum diſpoſitio, nulli inter ſe apti & cohærentes loci. Hoc argumento Lucilius, apud M. Tullium, per rerum naturas, tanquam per gradus, ad Dei notitiam conatur aſcendere. ſi à primis inchoatiſque naturis ad ultimas perfectaſque volumus procedere, ad deorum, inquit, naturam, perveniamus neceſſe eſt. ac primum ab iis, quæ gignuntur è terra, ad beſtias, ſenſuum tantum compotes, tum ad homines, ratione inſuper præditos, contemplator naturæ paulatim progrediens, ad quartum & altiſſimum eorum gradum ſe confert; quibus ab initio perfecta & abſoluta ratio inhæret, quæ ſupra hominem putanda eſt, Deoque tribuenda. ſed, quod propius rem noſtram attingit, ſicut ex rerum naturis infimum gradum ea obtinent, quæ variis mortis caſibus ſubjiciuntur; ſummum, quæ diſſolutione & interitu carent: ita etiam in ipſa probitatis ratione, ultimi ſunt ii, qui poſſunt à probitate deficere, & ad vitia tranſire, quamvis nunc bonitati jungantur; primi vero, qui indiſſolubili quodam nexu, eidem colligantur atque cohærent. atque, hac varietate, pulcherrimus univerſitatis ordo componitur. Verum, quod pertineat ad Dei miſericordiam & providentiam, eſſe malos, præclare Auguſtinus concludit his verbis: *Neque enim Deus ullum, non dico Angelorum, ſed vel hominum, crearet, quem malum eſſe praſciſſet, niſi pariter noſſet, quibus eum bonorum uſibus commodaret, atque ita ordinem ſeculorum, tanquam pulcherrimum carmen, etiam ex quibuſdam quaſi antithetis honeſtaret.* eſt autem ἀντίθετον, ut Quintilianus interpretatur, contrapoſitum, vel, ut alii volunt, contentio: neque fit uno modo, ſed pluribus, ut tu melius noſti quam ego, qui frequentem humanioribus litteris operam navas. nam, & fit, ſi ſingula ſingulis opponuntur, ut illud (utar eiſdem exemplis, quibus Quintilianus) vicit pudorem libido, timorem audacia; & bina binis; non noſtri ingenii, ſed veſtri auxilii eſt; &, ſententia ſententiis; dominetur in concionibus, jaceat in judiciis. ſicut ergo iſta

con-

contraria, contrariis oppoſita, ſermonibus leporem afferunt, ita etiam quadam, non verborum ſed rerum eloquentia, contrariorum oppoſitione, ſeculi pulcritudo componitur. Apertiſſime hoc expreſſum legitur in libro Eccleſiaſtici, *Contra malum bonum eſt, & contra mortem vita; ſic & contra juſtum peccator. & ſic intuere in omnia opera altiſſimi. duo & duo, & unum contra unum.* Apte etiam eleganterque hæc, ex malorum bonorumque compoſitione, univerſi pulchritudo proveniens, ſimilitudine, ex pictura ducta, colligitur. ut enim color niger, ſuo loco poſitus, venuſtatem & gratiam habet; ita etiam peccator, quantumvis fœdus ac turpis, in ornamentum rerum univerſitatis aſpicitur. Sed, cenſeo, ab hac ſeveritate ſermonis recedamus, ac, dum ſe calor frangat, interea teſſeris, vel latrunculis, honeſte otium conteramus.

SPUD. Placet vehementer hoc mihi. jube ergo alveolum, ac teſſeras vel latrunculos, ferri.

THEOT. Fiat.



DIALO-

DIALOGVS QVARTVS.

GABRIELI NAVDÆO V. C. IANVS NICIVS ERYTHRÆVS S. P. D.

LApſus poſt pœnitentiam, eodem ad te itinere pergit, quod ſuperiores Dialogi tritum reliquerunt. properat ille, flens, mœrens, gemens, ut ſua tibi vulnera aperiat, quæ lacrimis abluere atque intimo animi dolore, ex illis concepto, ſanare conatur. neque dubitat, quali in ipſum animo futurus ſis, cum ad eam humanitatem ac benevolentiam aſpiciat, quâ te iis, qui ad te veniunt, dare conſueviſti. immo ſperat, majorem tuam erga ſe benignitatem fore quam in alios, cum majorem etiam tibi, ejus declarandæ, facultatem & copiam exhibeat. nam, qui latior aperiri poteſt campus, in quo illa excurrat, quam jacentis, afflicti, atque mœrentis, dolor ac luctus, ut eum nimirum erigat, excitet, ac recreet? tum licebit imbecillitatis humanæ miſericordia commoveri, quæ niſi peculiari divina ope præſidioque ſuſtentetur, in hoc lubrico occaſionum tanquam limo conſiſtere, ſine caſu ac prolapſione, non poteſt. præterea, in hoc lapſo, quem ponimus, tanquam in ſpeculo, intueri fas erit infirmam hominis, in eo, quod ſibi recte propoſuerit, ſtrenue perſequendo, voluntatem, & inconſtantiam; cui vix aliqua peccandi occaſio oſtenditur, cum ad eam continuo vela dat. quod omnibus, ac juvenibus præſertim, exemplo poteſt eſſe, quam ſit neceſſarium, in perpetua ſui ipſius cuſtodia manere, ac nullum impuris cogitationibus, ne ad breviſſimum quidem tempus, in animo locum dare, ſed eas inde, auxilii de cælo deductis, in fugam, quantum poteſt, avertere, idque ſtatim, ſimulac ortæ ſunt, & nondum ado-

adoleverunt. nam, ubi eas alueris, confirmaveris, auxeris, armaveris, non erit ita facile eas ejicere, ſed animum, quem obſederint, in ſuam potentiam dominatumque convertent. atque utinam his conſiliis olim paruiſſem! profectò, ſi me ipſe audire voluiſſem, non tam multas pœnitendi cauſas mihi relictas eſſe intelligerem. ſed verum eſt quod dicitur, rectius nos foris ſapere, quam domi. & quoniam, quod geſtum eſt nequiter, eſt damnare, quam revocare, facilius, omiſſis querimoniis, Lapſum, caſum ſuum apud me deflentem, audiemus. hic venit ad me nudius quartus, querens, plorans, ingemiſcens, ſe rurſus in id lutum fuiſſe delapſum, unde olim emerſerat. reſpondi homini, quæ potui, quæ volui, quæ debui. hunc ego ſermonem, inter nos habitum, litteris mandare decrevi. neque ulla amico fiet injuria, ſi, quod eſt ſecreto inter nos actum, utilitatis aliorum cauſa divulgaverim. nam res tantum ipſa in medium proferetur; nomen, quæque poſſint aliquam hominis notitiam afferre, reticebuntur. Vale. v Idus Ianuar. CIƆ IƆC XL.

LAPSVS POST POENITENTIAM.

LAPSUS. NICIUS.

LAPSUS.

HEu me miſerum! quis nam dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrimarum, ut caſum & prolapſionem meam, ita ut æquum eſt, defleam?

NICIUS. Quis nam eſt iſte caſus, tam inopinatus, tam præceps, ut defleri lacrimarum imbribus poſtulet? modo enim te florentem aſpexi, atque omnibus iis rebus præditum, quas natura aut fortuna largitur. quod igitur eſt iſtuc damnum, & quantum, in quod præcipitem te factum fuiſſe conquereris?

LAPSUS.

Digitized by Google

LAPSUS. Heu me miſerum! eo bono excidi, quod rebus omnibus mihi carius eſſe debuit, quodque ne amitterem, res, vita, atque adeo exiſtimatio ipſa, ponenda fuerat.

NICIUS. Quid nam iſtuc erat, quod rebus longe cariſſimis anteponendum fuerat, quodque à te neglectum fuiſſe cruciaris?

LAPSUS. Pudet proloqui, ejuſque ſanctiſſimum nomen impuro ore proferre, quem ego, per ſummam perfidiam, deſerui, prodidi, contumeliis affeci.

NICIUS. Deum fortaſſe intelligis?

LAPSUS. Recte ais; iſtum ego, quam tot annos, ut noſti, caſte ac fideliter colui, amavi, dilexi, modo excluſi foras ab animo, atque infeſtiſſimis meis hoſtibus, intromiſſis, poſſeſſionem ejus vacuam tradidi.

NICIUS. Quid audio? Ain tu, Deum à te ex cordis tui ædibus exturbatum, ac Dæmonem intromiſſum? quis te in hanc fraudem tam ſceleratam & tam impiam induxit?

LAPSUS. Magna ac prope inevitabilis tentationum vis.

NICIUS. Inevitabilem, inquis? nam quis eſt tantus tentationum impetus, cui, divina ope, reſiſti non poſſit?

LAPSUS. Perpetuus humani generis hoſtis, mihi vehementer infenſus, quod tandem ejus manus effugiſſem, neque ſæpius bello repetitus ſuperari potuiſſem, eam pugnam dedit; cui neceſſe fuit cedere. obſidione, obſidione inquam, premere meum animum cœpit; quem demum, octavo poſt menſe, in ſuam poteſtatem redegit. &, quo magis ejus inſidias noris, ab ea parte aggreſſus eſt, qua me infirmiorem eſſe, ſæpius erat expertus.

NICIUS. Mira narras. ſed, omiſſis ambagibus, rem ipſam, ita uti ſe ſe habet, expone.

LAPSUS. Noſti ingenium meum, quemadmodum ſit prodive ad amores mulierum, & quam adhuc ægre libidinem meam continuerim, ne ſe ſe in aliqua earum effunderet. nam admonitionibus tuis atque præceptis, tanquam munitione aliqua ac mole lapidum, ab omni eam voluptate

ptate disjunctam habui; at hæc illi clauſtra meus perpetuus hoſtis eſt conatus effringere. idque eidem contigit ex ſententia; etenim, ipſo operam dante, erupit in quandam, cujus ego formam, adoleſcens, auditione magis & fama, quam quia vidiſſem, adamaveram. hanc mihi Dæmon, poſt multorum annorum intervallum, ante oculos adduxit; ac tantum potuit præteritorum temporum recondatio, ut in ea mirabiliter exarſerim. ô diem mihi funeſtum & atrum, quo primum meis objecta eſt oculis! utinam mihi poſtremus illuxiſſet; quantus nunc dolor à me, quanta vis lacrimarum, abeſſet! vel, utinam ea, in qua commovebar, non meis ſe ſe morigera ſtudiis obtuliſſet. nullis enim blandimentis & illecebris fotus & innutritus, omnem brevi, de ea, amorem ejeciſſem. verum, peſſima, ſtatim mihi ſe dedere, hilarem vultum oſtendere, domus ſuæ januam aperire, mihi aſſidere, atque alia ejuſmodi facere, quæ ſunt inſaniſſimi incitamenta furoris.

Nicius. Tamne excors eras, ut non intelligeres, hæc eo tendere, ut tibi verecundiam & virtutis modum deturbarent?

Lapsus. Animadverti equidem; atque hos tam multos tamque acres impetus, quamvis in eam mire propenſus, aliquamdiu declinavi; ac præſertim, quoad bonus ille ſenex vixit, qui erat mihi à confeſſionibus, atque etiam intimus conſiliis meis, ut noſti. hei mihi; tam diu ille me probum & ab his nugis alienum detinuit, quam diu in poteſtate ſua habuit: ſed, poſtquam mihi immigrare in ingenium meum licuit, continuo perdidit operam. ille ſalutaria mihi præcepta, tanquam arma ſuppeditabat; ille monendo accuſandoque, ſæpe etiam objurgando, labantem me confirmabat, errantem caſtigabat, ruentem retinebat; at, eo è vita ſublato, hoc eſt, tam valido firmoque præſidio mihi prærepto, quid erat exſpectandum, niſi quod cupiditas ſuadebat; deditionem ut facerem? ſed non continuo, per ſummam ignaviam ac turpitudinem, haſtas abjeci; paululum ſum, pudore metuque divinæ ultionis, inhibitus. & ſane, non erat deſperandum de victoria, ſi intra hunc metum, tanquam intra caſtra tutiſſima, meas copias continuiſſem, neque iis foras

in

in aciem eductis, iniquiore loco ac tempore, cum hoſte callidiſſimo ſigna conferre voluiſſem. nam, quid eſt aliud, victoriam de ſe certiſſimam hoſtibus dare, niſi, viribus longe inferiorem, ad ipſorum munitiones & caſtra contendere? ipſe igitur mihi exitium miſero peſtemque contraxi; ipſe me in armatas hoſtium copias immiſi; ipſe ferire geſtientibus jugulum præbui.

Nicius. Quæ nam erant iſta inimicorum tuorum caſtra, in quæ inermis, ac pene nudus, ad interitum prope certum, irruiſti?

Lapsus. Funeſta mulieris, ſive potius Erinnyos illius, domus, lethalis ejuſdem aſpectus, illecebroſa oratio, conſuetudo ad nequitiam adducens. quæ omnia, ſi mihi mens ſana fuiſſet, peſte pejus odiſſe debueram; & tamen vita ac ſalute ipſa avidius expetebam. nam ædes ejus obambulabam, ejuſdemque ſemel inſpiciendæ gratia, venatum oculis faciebam; ultro me illi ad colloquium dabam; miſere, me ab ea ſuam in domum, fallendi temporis cauſa, intromitti, cupiebam.

Nicius. Perge porro. quid poſtea?

Lapsus. Quid? inquis: quod me libido mea ſuadebat facere. tam lepidam occaſionem, tam commodam, tam optatam, coram meum illi animum aperiendi, non dimiſi: nec fuit opus multis verbis, quo eam mihi conciliarem; quæ, utilitatis ſuæ gratia, non minus erat cupiens mei, quam ego illius. ſicut nec multæ operæ res fuit, mulierem multibibam, merobibam, atque avidam cibi, meam in domum ad cœnam adducere.

Nicius. Tace, tace, obſecro; ac duorum labori hominum parce; mei, te auſcultandi; tui, narrandi. ſatis ſatis jam, te tacente, extremus tuæ tragœdiæ actus, animo, vel promemodum oculis, cernitur.

Lapsus. Hei mihi, qui deliciis cæleſtibus circumfluebam, tanquam ſus, lutum adamavi; qui nutriebar in croceis, amplexatus ſum ſtercora. hic eſt meus caſus; hæc eſt mea prolapſio; pro qua nunc, luctu, maceror atque conficior.

Nicius. Cum locum probitatis, caſtitatis, religionis, unde præceps devolutus es, cogito, non poſſum quin exclamem, O quam alte cecidiſti! vel, ut magnus olim

Anto-

Antonius de quodam monacho, in ſimilem fraudem delapſo, exclamaſſe dicitur: O quam ſolida, ô quam excelſa columna corruit in terram atque procubuit!

LAPSUS. Eheu me miſerum; ſi horribilem meum caſum, pro ejus magnitudine, flere ac conqueri velim, quiſnam erit doloris, quis lacrimarum modus ac finis!

NICIUS. Cum eas tibi Dæmon pugnas dabat, cum eas in animum cogitationes immittebat, nonne ea ſtatim occurrebant, quæ de ſupremi judicii die, quæ de pœnis ac ſuppliciis æternis, tanta animi vi ac vocis contentione narrabas? vel ſaltem ætatis tuæ non tibi veniebat in mentem, quæ, ſi decurſos annos tuos numeres, propius abeſt à calce quam à carceribus? hæc ſi meminiſſe voluiſſes, nec, leviter laceſſitus, continuo te cupiditatibus tuis conſtringendum tradidiſſes, profecto non hic curarum aculeus tuum animum fodicaret, non hæc perpetuo deflendi neceſſitas maneret, non hujus infamia facti, exiſtimationem tuam famamque laceraret.

LAPSUS. Sunt iſthæc, quæ dicis, facilia memoratu; eadem in uſu, atque ubi periculum facias, niſi præſens divinum auxilium adſit, difficilia. ſunt iſthæc, ut inquis, arma ſalutaria atque hoſtibus metuenda; ſed, cum erat iis utendum, non ſuppetebant; vel, ſi erant parata, vires, quibus ea contra hoſtem intorquerem, mea quidem culpa, fractæ ac debilitatæ, non aderant. itaque leviter ac ſine vulnere cadebam.

NICIUS. Debebas hunc hoſtem, dum erat parvulus, infirmus, inermis, interficere, nec exſpectare dum adoleſceret, ſeque confirmaret. nam, dum tu illum negligis, vel molliter rejicis, interea ſe ille, adverſus te, auxit, inſtruxit, armavit.

LAPSUS. Teſtem habeo Deum, me longe in acrioribus præliis, ſuperiorem evaſiſſe. quot ego conditiones, hac magis luculentas, contemſi! quot ego fluvios, iſthoc rapidiores, ſine damno tranſivi! quoties ex viſco, iſthoc tenaciori, alas expedivi, ne in Dei odium & offenſionem incurrerem! neque, in hac pugna, ad meos adverſarios victoria tranſiſſet, ſi ſaluti meæ conſulere fuga potuiſſem. nam quo fugerem, ſi ea mihi, propter vicinitatem, ſemper ante oculos erat habenda, ſi ædium ipſarum aſpectus,

ejus mihi abſentis memoriam commovebat, ſi incendium, quod intus cor exedebat, acrioribus illud flammis cumulabat?

NICIUS. Verum illud verbum eſt vetus, *aliquid mali eſſe propter vicinum malum.* ex ea te vicinia eripuiſſes; commutaſſes coloniam.

LAPSUS. Rurſus ad ea revolveris, quæ ſunt narranti facilia, ſed nihil eſt experienti minus. quamquam non ita hebeti ſum ingenio, quin ita faciendum fuiſſe intelligam. verum hæc inter initia, at non poſtea, quam ferox & immanis meus hoſtis, aſſidua me attritum pugna, prope viribus exuiſſet. ſed quis unquam exiſtimaſſet, tam horribilem caſum fuiſſe metuendum homini, jam in ſenium vergenti, atque, in ſtudiis continentiæ virtutumque omnium, diu multumque verſato? quid tibi vis dicam? mea ſtultitia & inimicorum acerbitas mihi damno fuit; longa atque perpetua obſidio dedecus & interitum attulit; meus propenſus in amorem animus me, incautum, ac ſperantem meliora, vinctum meis hoſtibus tradidit.

NICIUS. Improbus eſt ille amor, qui nos, cum Deo in odio inimicitiaque conſtituit. quid tibi vis dici? perfidum & ingratum erga divina beneficia animum tuum ſatis deflere non potes. nam, cum Deus extraxiſſet te de lacu miſeriæ, & de luto fæcis, te in idem lutum iterum demerſiſti; quid igitur meritus es? nonne illud, quod David à ſe tantopere deprecabatur, nimirum, ut perpetuo in tuis ſordibus hæreas, vel, quemadmodum idem ille loquitur, ut urgeat ſupra te puteus os ſuum?

LAPSUS. Dic meliora, quæſo. nonne David, quem memoras, majoribus, quam ego, beneficiis & gratiis affectus, longe gravius pejuſque deliquit? nam, ad unicum Bethſabeæ conſpectum, ſe vinci permiſit, neque ita multo poſt, ſine ullo reſpectu atque pudore, duobus ſe graviſſimis ſceleribus, nimirum adulterio, atque hominis innocentiſſimi optimeque de ſe meriti nece, contaminavit atque conſtrinxit. at ego priuſquam deditionem facerem, menſes octo continuos, ſi non ita ut par erat, aliqua tamen ratione, nec timide, reſtiti.

NICIUS. Pergis etiam, excuſando defendendoque, leviorem tuam culpam effingere? nemo hoſtis, tam acer, tam

tam ferox, penetrare intra tuum animum potuiſſet, niſi tu idemmet portas aperuiſſes; neque ſua tibi Deus clauſa præſidia habuit, nunquam obſtitit quo minus ea inde auxilia, quæ eſſent ad repellendos hoſtes neceſſaria, deduceres; ſed. tu ipſe victoriam hoſti detuliſti, tu ipſe eidem ad te aditum patefeciſti, ac fortaſſe non unam ſed plures vias aperuiſti, unde ad te pedem intro conferret.

Lapsus. Hei mihi; recte admones; aperui, ac multas quidem. nam ſimulatque illud mihi cœnum, ad fallenda veſtigia, ſe ſe ſubjecit, & ſuſpicatus ſum, eam eſſe mulierem quæ erat, arſi cupiditate incredibili, id pro certo ut ſcirem; & quærendo inveſtigandoque plus comperi, quam me noſſe oportebat. neque intra hos fines ſe mea ſtultitia cohibuit, verum progreſſa eſt longius. nam cum ſatis mihi conſtaret, eam eſſe, quæ olim aliquod mihi negotium exhibuiſſet, ac propterea hæc ſatis juſta cauſa videretur eſſe non conjungendæ cum ea amicitiæ; ego ſtultus, contra dedi operam ſedulo, ut me ejus in familiaritatem inſinuarem, quo eam propius intueri poſſem, atque oculorum judicio ſtatuere, quantum, annorum decurſu, de ejus forma, quæ erat egregia in primis, deperiiſſet; tum, de rebus inaniſſimis leviſſimiſque ſæpius ſermones cum illa habere; poſtremo, multa ſtulte apud eam facere, quæ Dei metus ac veterum experientia malorum prohibere debebat. quid multis opus eſt? ab his januis aditibuſque patefactis, ſenſi, hunc ad me amorem immigrare, vel potius impetum facere, veterem ab animo dominum pellere, ac, validis improbarum cupiditatum habenis, imperii ejuſdem jugo inſiſtere.

Nicius. Quam igitur obſidionem narras? quid hoſtium tuorum iniquitatem accuſas? tu eos accerſiſti; tu ipſe introduxiſti; tu in arce animi tui collocaſti. non te pudet, cor illud, quod Deo jam pridem dicaſſes, eodem ſpoliatum, beſtiis immaniſſimis atrociſſimiſque prodidiſſe?

Lapsus. Satis ſatis jam pœnarum dedi, neque tam doctus, quam expertus, intelligo, verum eſſe, quod dictum eſt ab Auguſtino divinitus, intemperantem animum ſibi ipſi pœnam eſſe longe maximam atque graviſſimam.

nam quæ tanta vis eſt orationis & copia, ut multa illa aſpera, acerba, difficilia, & gravia perpeſſu, quæ mihi ſubeunda fuerunt, poſſit exponere? & ſane millies antea malim, per ſummos cruciatus, vitam effundere, quam iterum in has ærumnas incidere.

Nicius. Quæ nam ſunt iſtæ ærumnæ, quibus conflictabaris?

Lapsus. Pugnabant in animo meo pudor & metus; mutuis ſe ſe vulneribus confodiebant voluptas & dolor; cupiditas metuſque ſeditionem faciebant; pro ſe quiſque in alterius necem conſpirabat. ardebam quidem amore inſaniſſimo, ſed incredibili ſimul mœrore conficiebar, quod iis eſſem vitiis affinis, quæ iſthæc, qua ego ſum, ætas, fugere facta magis, quam ſectari, ſolita eſt; ut adoleſcens, apud poëtam neſcio quem, dixit. delectabar equidem mulieris feſtiviſſimæ conſuetudine, ſed dolore omnium maximo afficiebar, quod fontem omnium bonorum, & venam aquarum viventium, Deum, dereliquiſſem. eram ſane ejus formæ contemplandæ cupidus, ſed ſimul à dedecore illo abhorrens, quod in me redundare ex ea familiaritate comperiebam. & hoc fere iis accidit, quos inanis ſpecies floris pulcritudoque ſeducit, qui falſam in ſe dulcedinem, ad ebrietatem, invergunt, qui tenebras lucem, lucem tenebras, amarum dulce, dulce amarum, exiſtimant. hoc eſt vinum illud myrrhatum, cum felle miſtum, quod Chriſtus, in crucem ſublatus, atque acerbiſſima enectus ſiti, vix primoribus labris deguſtare ſuſtinuit. quamobrem fiebat, ut, vitæ pertæſus, mortem, quæ me ex miſeriis eriperet, à Deo, in beneficii loco, depoſcerem. ſed, quamvis, me in hos laqueos incidiſſe, plurimum doleat, quamvis tantam, optime de me merito Deo, injuriam impoſuiſſe pœniteat, attamen aliquot ita arcte nexibus implicor, ut, quemadmodum me expediam, non inveniam.

Nicius. Cæde, concide, diſrumpe hæc vincula, quæ te in æternam perniciem attrahunt.

Lapsus. Siquidem poſſim, nihil à me agendum eſt prius; ſed diffido meis viribus. atqui velim ea magis ſolvere, quam confringere; velim eam, quam plus oculis meis dilexi, amicam potius, quam inimicam, hac diſtractione, relinquere. reſidet mihi adhuc in animo, naturalis

lis quidam in eam impulſus atque propenſio. præterea, huic violentiæ, mea lenis ac mitis natura repugnat. non igitur video, quamobrem eam mihi vim poſſim afferre, quam natura, mores, conſuetudoque repellat.

NICIUS. Adhuc videris eam pluris, quam Deum, facere; cui diſplicere non debeas, etiam ſi tibi omnes homines capiendos inimicos intelligas.

LAPSUS. Quoniam fieri aliter non poteſt, feram id quoque; ac Deo, ob illatas eidem injurias, hoc dolore, aliqua ex parte ſatisfaciam. nunc autem, quid es mihi autor ut faciam?

NICIUS. Vt fleas, ut contractas animæ tuæ ſordes, lacrimarum imbribus, eluas; niſi mavis, poſt mortem, ligatis manibus & pedibus, in eum carcerem trudi, ubi nunquam tibi fletus ab oculis, nunquam ſtridor dentium ab ore, decedat.

LAPSUS. Fiat, ut admones; deducat quaſi torrentem lacrimas, & non taceat, pupilla oculi mei; ſit animi dolor intrinſecus mihi panis dies noctesque; ſit, jugis lacrimarum fons, potus mihi perennis. at, ſi fas eſt homini, arcana Dei judicia ſcrutari, dic mihi, cur ille, qui pater eſt miſericordiarum & Deus totius conſolationis, quique pulcre, infirmum meum, ad reſiſtendum, animum noſſet, paſſus eſt, mihi ante oculos hanc tam certam, hanc tam vehementem peccandi occaſionem ac materiam adduci?

NICIUS. Non ſunt curioſe, vera ac juſta Dei judicia, inveſtiganda. explica atque excute memoriam tuam, ut videas, numquid peccaveris, quamobrem merito ſua tibi Deus præſidia ſubtraxerit.

LAPSUS. Vtinam eo loco meæ res eſſent, ut ſub vertenda mihi memoria eſſet, quo, ex abditis innumerabilium pene rerum imaginibus, aliquid eruatur, cui tanta hæc derelictio atque calamitas referatur accepta. palam multa adſunt, in veſtibulo atque ultro ſe offerunt, quæ tanta me pœna dignum exclament; ſed illud in primis, quod donum continentiæ, ac divina alia in me beneficia, non demiſſionis & gratiarum actionis, ſed elationis arrogantiæque cauſam & materiam habuerim. idq; licet mihi ex eo colligere, quod alios, qui in hoc eodem luto hærebant, in quod decidi, contemſi præ me, ac vitioſos eo-

rum mores acri apud omnes incuſatione ac querela perſtrinxi.

NICIUS. Heu, ſatis & pluſquam ſatis docet experientia uſuſque, nullam vim nobis ad recte faciendum ineſſe, niſi ea à Deo ſuppeditetur. ſatis ex noſtra infirmitate imbecillitateque concluditur, nos omnibus horis, atque adeo punctis omnibus temporis, ab ejus ope auxilioque pendere. ſatis ex frequentibus noſtris detrimentis & cladibus conficitur, ſi tantulum Deus à nobis oculos dejecerit, præſto eſſe nobis inſidias, damna, dedecora, mortes. ſatis ex noſtris caſibus prolapſionibuſque perſpicitur, ſi paululum manus retraxerit, laqueos, præcipitia, foſſas, adeſſe. ſed cedo, tot Dei in te beneficiis provocatus, num reſpondiſti, vitandis præſertim omnibus peccandi occaſionibus? num, tentationibus laceſſitus, ad ea arma confugiſti, quæ ut ſemper nobis parata eſſent, tum Chriſtus edocuit, cum, in ſummas animi anguſtias adductus, à mœrore metuque diſtraheretur? hoc eſt, perpetuam vigilantiam, cum acerrimo orandi ſtudio, junxiſti? *Vigilate*, inquit Chriſtus, *& orate, ne intretis in tentationem.* illa enim duo, voluit eſſe unicum contra tentationes remedium atque perfugium.

LAPSUS. Fateor, me utriuſque rei, minus quam rebus ac temporibus meis expediret, ſtudioſum fuiſſe. nam, neque me occaſionibus, ut periculi ratio poſtulabat, eripui, neque in tanto ſalutis diſcrimine, orationis ſcuto protexi.

NICIUS. Quid mirum eſt igitur, ſi, nudatus omnibus auxiliis, tuis hoſtibus prædæ fuiſti? ſed obfuit tibi illud, ut video, quod pleriſque fuit exitio; videlicet oſcitantia atque ſecuritas; & quia, contra conſilium Sapientis, voluiſti eſſe ſine metu. habemus adverſarios acres, vehementes, validos, nunquam ceſſantes, nunquam pacatos, ſed ſemper promtos, ſemper infeſtos. ſtandum eſt, decertandum eſt, in perpetua vigilia manendum eſt. remiſiſti orationem? incidiſti in tentationem. remiſiſti vigilantiam? deveniſti in inſidias meritas igitur ſocordiæ negligentiæque tuæ pœnas debitaſque perſolvis.

LAPSUS. Pax me fefellit, quam mihi cum meis cupiditatibus eſſe credidi.

NICIUS.

Nicius. Quis tibi pacem pollicitus eſt unquam? quis te otioſo eſſe animo juſſit? næ, tu Imperator eſſes non probus. *numquam enim Imperator*, inquit Seneca, *ita credit paci, ut non ſe præparet bello; quod, etiam ſi non geritur, indictum eſt.* an non legiſti, *militiam eſſe vitam hominis ſuper terram*? nunc, quoniam fieri aliter non poteſt, reſtat, ut te redimas captum. habes pretium, quod diſſolvas; ſanguinem pretioſiſſimum Ieſu Chriſti, tanquam agni immaculati, qui dedit ſemetipſum pro nobis. ſed, ne cuncteris, ne differas. etenim, *nunc tempus acceptabile, nunc dies ſalutis.* nam, ſi neglexeris, ſi diem ex die duxeris, metuendum eſt, ne poſtea, cum volueris, ejus tibi rei copia non ſuppetat, vel, cum uſus conſuetudoque peccandi præceſſit, hoc tibi negotium non procedat in numerum, hoc eſt, multis illud difficultatibus ſeptum invenias. nunc vero intimum & acerbum ex te animi dolorem exprome, qui vel ſolus, vel præ ceteris, ad impetrandam à Deo veniam valet.

Lapsus. Nunc voluptatem illam fœdam, nunc me miſerum intelligo, qui, cum debuiſſem arbitrari omnia ut ſtercora, quo Chriſtum lucri facerem, contra, Chriſtum ſprevi, contemſi, pro nihilo habui, ut amplecterer ſtercora. Quare exitus aquarum deducant oculi mei, atque eam lacrimarum ſementem efficiant, unde pax, gaudium, & voluptas oriatur.

DIALOGVS QVINTVS.

Doctiſſimo religioſiſſimoque viro

GABRIELI NAVDÆO

IANVS NICIVS ERYTHRÆVS

S. P. D.

Hic quoque Dialogus, aliquot ante annos à me confectus, ac meo more tenebris traditus, tituli ſui luce ſe prodidit,(eſt enim, de Deo Trino & uno, inſcriptus) & conſpectum tuum adamavit. rei dignitas, de qua in eo eſt ſermo, mea vel ſevitiæ vel juſtæ animadverſioni eum prorſus eripuit. alioqui eodem, quo cetera fere mea ſcripta, fato comprehenſus, non nunc tibi moleſtus interveniret. facit ille, de quo hic agitur, linguas infantium loquentes & diſertas; ſed, utrum id mihi, de ſe loquenti, beneficium contulerit, neſcio; unum ſcio, propter mea innumera ſcelera atque flagitia, vix quemquam eſſe hominem, cui magis, bona felicitates omnes, adverſa eſſe debeant quam mihi. ac vereor, ne illud ab eo objiciatur, quod olim, peccatis contaminato, de divinis rebus agenti, per Prophetam, dixit Deus, Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum, tu vero odiſti diſciplinam? *tui judicii res eſt, decernere, quo ille loco ſit habendus. nam, ſi non plane indignus videbitur, qui ſemel ſaltem legatur, ad ſuperiorum dialogorum ſocietatem ac numerum illum adjunges; ſin autem luteum eſt negotium, neque ſatis conſpectu hominum dignum, propter materiæ dignitatem illud à te impetret, ne continuo ad cetarios, fartores, ac pomarios mittatur, ſed alia honeſtiore ratione de medio ſubtrahatur. Vale. v Idus Ianuarii* C I Ɔ I Ɔ C X L.

DE

DE DEO TRINO ET VNO.

AVDITOR. MAGISTER.

AVDITOR.

MAgnæ & immortales Deo à nobis habendæ ſunt gratiæ, qui veram ſui notitiam, tot antea ſeculis obſtruſam atque reconditam, per filium ſuum Ieſum Chriſtum nobis aperuit. & ſane, quid poterat excogitari ipſo homine infelicius? nam, quæ major poteſt eſſe miſeria, quam eundem, cogi, Deo cultum adhibere, atque in Dei ignoratione verſari?

MAGIST. Recte ais. propterea æquum eſt, ut gratos nos eidem exhibeamus. ſed nullum illuſtrius grati animi ſignum à nobis poteſt accidere, quam ſi, totis animi viribus, diligatur.

AVDIT. Potuit ne aliquis, natura ipſa duce, ad Dei notitiam pervenire?

MAGIST. Non eſt dubitandum, quin aliquam nobis Deus ſui ipſius informationem intulerit, eamque inſculpſerit in animis noſtris. nam, poſt exædificatam cæli terræque tam admirabilem molitionem & fabricam, in homine, qui erat omnium, quæ feciſſet, quaſi quidam epilogus, nonnullam ſui ipſius notitiam, veluti quandam autoris imaginem, mentis oculis aſpiciendam, impreſſit, qua exiſteret ſimilis Dei. hanc contuens animus, divino lumine illuſtratus, accipit ab ea cognitionem illius ſupernæ divinæque naturæ. de hac loquens ſanctiſſimus vates, *Signatum eſt*, inquit, *ſuper nos lumen vultus tui, Domine.*

AVDIT. Quæſo, ſi tibi commodum eſt, ne graveris explicare, quæ nam ſit hæc imago divinitatis, & quomodo, ab eadem, Dei notitia reſultet.

MAGIST.

Magist. Geram tibi morem, quod potero. Sed noli exiſtimare, eam tibi imaginem poſſe Deum, qualis ſit, plane referre. quæ enim ſpecies inveniri poteſt, quæ omnino eum valeat exprimere? Sed ita eum indicat, ut umbra corpus oſtendit. primum, noſter animus unus eſt, qui memoriam tamen habet & intelligentiam & voluntatem; tum in eodem una mens eſt, ſed ea gignit notitiam ſui; à mente vero, ſuique notitia, proficiſcitur ſui amor. atqui, ſi mavis hæc ab Auguſtino doctius & apertius accipere, audi ipſum, ita diſſerentem: Et nos quidem in nobis, tametſi non æqualem, immo valde longeque diſtantem, neque coæternum, & quo brevius totum dicatur, non ejuſdem ſubſtantiæ cujus eſt Deus, tamen qua Deo nihil ſit in rebus, ab eo factis, natura propius, imaginem Dei, hoc eſt, ſummæ illius Trinitatis, agnoſcimus, adhuc reformatione perficiendam, ut ſit etiam ſimilitudine proxima. nam & ſumus, & nos eſſe novimus, & noſtrum eſſe ac noſſe diligimus. Hæc, per quandam ſimilitudinem afferuntur; quæ ſimilitudo, à veritate ipſa, infinito intervallo, disjungitur. verum, aliquo modo videntur reſpondere iis, quæ de Deo, uno natura, triplici hypoſtaſi, fide Chriſtiana traduntur. nam divina illa præſtantiſſimaque natura, una eſt ac ſimplex, ſed perſonis diſtincta, Patre, Filioque, ac Spiritu ſancto. Pater Filium generat, ex Patre Filioque producitur Spiritus ſanctus, qui etiam dicitur Amor.

Audit. At doce, ſi placet, quomodo exemplum de animo noſtro, ſuperius allatum, ad explicandam divinarum perſonarum productionem, infra veritatem ipſam infinito intervallo ſubſideat.

Magist. Diſſimilitudo maxime perſpici poteſt, primum ex eo, quia, ut inquit Auguſtinus, non æternam, neque ſubſtantiæ ejuſdem cujus eſt Deus, naturam habemus; tum, quia intellectio, quæ ab humana mente producitur, nihil niſi quoddam eſt accidens, ut etiam amor, qui à mente ſuique notitia procedit, affectio quædam ſolum eſt, atque habitus: at in natura divina, quod à Patre, ſe ipſum perfecte intelligendo, producitur, quod vocamus Filium, cum ſit ipſa natura divina, Deus eſt, unus & idem cum Patre Deus, amor vero ille, qui à Pa-

tre Filioque, ſe mutuo diligentibus, prodit, verus eſt etiam Deus, & ejuſdem ac Pater Filiuſque naturæ. deinde, propterea homo ad Dei ſimilitudinem fictus eſſe creditur, quod motus & appetitiones habeat voluntarias & liberas, quod in ceteris animantibus dominetur, quod omnia, aliqua ratione, amplectatur atque contineat, nec ſit quidquam, quod non inſit in illo. quæ omnia totum nobis Deum explicare, planeque indicare, non poſſunt.

AUDIT. Sunt ne alia, in rebus à Deo productis, in quibus, Dei unius ſimul ac trini imago, ſubobſcuris adumbrata veſtigiis inhæreat?

MAGIST. Multa quidem ſunt, ſed primum in iis locum ſol obtinet, unde coævum ipſi lumen emanat, & ab utroque calor, utrique coævus.

AUDIT. Si trium perſonarum una & eadem eſt prorſus intelligentia atque voluntas, ſicut una & eadem eſt penitus natura; cur Filio, generandi jus, Spiritui vero ſancto, tum generandi tum ſpirandi facultas adimitur?

MAGIST. Difficilem ſane ſcopuloſumque in locum te diſcendi æſtus abſtraxit; unde, qui delati eodem ſunt, alii aliter conati ſunt enatare atque evadere. Sed, ne in referendis aliorum reſponſionibus multus ſim atque ineptus, quæ fere omnes in unum & eundem exitum ſpectant, explicabo breviter ſententiam meam. In illa ſuprema divinaque natura, eadem res ſimul & eſt ſimplex & eſt ad alterum. ut ſimplex res eſt, æque à tribus perſonis poſſidetur; ut vero comparationem ſignificat perſonarum inter ſe, nihil habet commune cum aliis perſonis, ſed eſt propria uniuſcujuſque. quæ cum ita ſint, intellectio atque amor divinus, quatenus nihil continent niſi rei cognitionem & amorem, quia ſunt res ſimplices neque aliud quidquam reſpiciunt, in omnibus perſonis reperiuntur; ut vero intellectio generationem, amor vero ſpirationem ſignificat, quia jam non ſunt res ſimplices, ſed perſonas inter ipſas comparant, in communionem non veniunt, ſed perſonas conſtituunt atque diſtinguunt.

AUDIT. Cur non poſſunt produci plures Filii à Patre, neque à Patre Filioque plures Spiritus ſancti procedere?

MAGIST.

MAGIST. Quia ſemel tantum, neque eo amplius, Pater, ſe ipſe perfecte intelligens, perfectam concipit ſimilitudinem ſui; quæ ab Apoſtolo, *ſplendor Patris & figura ſubſtantiæ ejus*, appellatur, à nobis, communi nomine, Filius nuncupatur, quia oritur à principio vivente, immo à fonte vitæ conjuncto; & quia ſemel etiam Pater & Filius ſe mutuo diligentes, amorem ſpirant æternum. nam, ſi plures filii à Patre, & plures Spiritus ſancti à Patre Filioque, producerentur, plures etiam intellectionis ac voluntatis divinæ, actiones & facultates, ad eaſdem actiones, in Deo coagmentarentur: at nulla omnino poteſt compoſitio cadere in illam ſimpliciſſimam divinamque naturam.

AUDIT. Linquamus iſta, quæ ſunt longe ſubtiliora, quam ut ea cernere humani ingenii acies poſſit. unde ortum eſt, ut innumerabiles tot ſeculis homines hanc Dei, ut diximus, imaginem, quam inſculptam in animis habebant, non cernerent, ſed aliud quidvis potius, deforme ac ſordidum, Dei honore ac nomine affecerint, atque in animi notione, tanquam in veſtigio, collocarint?

MAGIST. Hujus impietatis velut illuviem, à ſuperſtitione hominum ortum duxiſſe, ni fallor, exiſtimo, qui partim liberos, partim eos à quibus magnæ utilitates ad vitæ cultum eſſent inventæ, morte ſublatos, primum colere ac venerari, poſtremo cœperunt reponere in Deos. ac, ne exiſtimes, hoc veteribus ipſis fuiſſe incognitum, Alexander Macedo ſcripſit ad matrem, ſibi à magno antiſtite ſacrorum Ægyptiorum, Leone nomine, proditum, non ſolum minorum ſed majorum etiam gentium Deos, homines fuiſſe. qui Leo, timens, ne ob revelata myſteria ſupplicio afficeretur, ſumma vi petiit ab Alexandro, ut, cum ea matri conſcripta inſinuaſſet, flammis juberet concremari. verum hæc ſuperſtitio paulatim ſerpens, ipſas etiam res utiles ac ſalutares, deorum vocabulis nuncupavit; denique eatenus progreſſa eſt, ut multi, quo ſua vitia, deorum exemplo, defenderent, magna eiſdem odia, contentiones, diſcordias, effuſas in omni intemperantia libidines, adulteria, querelaſque tribuerint.

AUDI-

AUDIT. At multa, ut à doctis viris accepi, dicta ſunt à veteribus, ex quibus ſatis appareat, non plane eos ignoraſſe, Deum eſſe unum natura, trinum hypoſtaſi.

MAGIST. Eſt ita, ut dicis. nam, ſive naturæ vi, quæ Dei notionem in animis noſtris inſculpſit, ſive quod ab aliis accepiſſent, egregia multa atque præclara, de Deo, litteris conſignata, omnium ſeculorum poſteritati mandarunt.

AUDIT. Fortaſſe ea inquis, quæ Plato, iique qui ſunt à Platone profecti, ſuis ingeniis pepererunt, quæ mirabiliter congruere cum iis audio, quæ nobis à fide Chriſtiana traduntur.

MAGIST. Et iſta atque alia permulta loquor, non paucis ante ſeculis, poëtarum carminibus edita, & Philoſophorum ingeniis inventa.

AUDIT. Aveo, ea ex te audire.

MAGIST. Audi igitur. atque, ut illas prætercam, popularium Philoſophorum, qui in Deo opinione turpiſſime labuntur, de natura deorum commenticias futileſque ſententias; quam multi exſtiterunt, qui de tribus divinis perſonis in univerſum, vel ſigillatim de earum unaquaque, diſſeruerunt! principio, quam multa ſunt, poëtarum vocibus fuſa, à quibus nihil præter aurium voluptatem exigitur, quæ, hypoſtaſes tres in una divina natura eſſe, indicare poſſint! atque, ut ea, quæ vulgata ſunt apud omnes, de partu Iovis ortuque virginis, tranſeamus; quæ ſi disjungantur à fabula, & ad ipſam veritatis rationem traducantur, æternæ Filii generationis ratio non inelegans incluſa in impias fabulas eſſe intelligetur. quam multa, in Orphei carmine, de ſummo Dei Filio leguntur! ſive illud ſit cujuſdam Cerdonis, ut Pythagorici ferunt, ſive Orphei vetuſtiſſimi poëtæ, eorumque deorum, quos ſacravit antiquitas, plane æqualis, qui inter Argonautas, cum duobus Tyndaridis & Hercule navigavit; quid autem intellexit, cum toties autorem Naturæ πρωτόγονον nominavit, niſi, architectum tanti operis tantique muneris, ante omnia genitum eſſe? quid oſtendit, cum eundem φάνητα appellavit, niſi, ante omnem totius orbis deſignationem atque apparatum, ab infinito tem-

tempore, Dei Filium exſtitiſſe atque apparuiſſe? quam varia, de Deo, ab aliis etiam poëtis, pluribus verbis, explicata ſunt, quorum denique rationes in id unum recidant, ut Deus unus atque trinus eſſe credatur! quale eſt illud, ex triplici mundi partitione, tres Ioves ita mundo præeſſe, ut una tamen omnibus divinitas venerationque tribuatur. quam multa alia referuntur! quæ ideo à me repudiantur, ne quid habeat levitatis oratio. Ac de Poëtis hactenus.

AUDIT. Perge porro, atque ea, quæ à Philoſophis docentur, expone.

MAGIST. Si univerſum Philoſophorum ſenatum ciere velimus, pene omnia Trinitatis myſteria ab eis enunciata atq; explicata, fateri cogemur. Thales Mileſius, qui numeratur in ſeptem, quique, princeps ex omnibus ſpeculator venatorque naturæ, injecit animum intenditque in rerum naturalium cauſas, ita longe lateq; peregrinatus intelligentia eſt, ut unam divinam mentem, procreatricem, & quaſi fontem, rerum omnium dixerit eſſe, quæ ex aqua cuncta formaverit. Anaxagoræ autem, qui accepit ab Anaximene diſciplinam, unam infinitam mentem eſſe placuit, cujus imperio ac poteſtati, in hac molitione rerum, cælum, ignes, terræ, & maria paruerint. Pythagoras ipſe, quid aliud cenſuit eſſe Deum, niſi animum, per naturam rerum omnium intentum & commeantem, ex quo animi noſtri carperentur? quocum maxime, ſummus poeta noſter, convenit, qui Pythagoræ fontibus hortulos ſuos irrigavit. nam dixit, Deum

ire per omnes
Terraſque, tractuſque maris, cælumque profundum.

Et quoniam, hunc diffuſum ac pertinentem per omnia Deum, vitæ etiam principem ac fontem eſſe agnoverat, ſubdit,

Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas.

Sed, ut ad Pythagoram revertamur, fuiſſe apud illum aliquam Trinitatis agnitionem, argumento eſt ea trianguli figura, qua illa, quæ ab eo proſeminata eſt familia, ad Deum ſignificandum utebatur, in quo Ægyptii, omnino melius,

qui

qui ut, tres perſonas divinas in una eademque natura eſſe, ſignificarent, jota unum ad interius trianguli latus addebant. quo Xenophanis Antiſthenisque ſententiæ, quorum alter ſtatuit Deum eſſe infinitam mentem, alter, ſummum quoddam numen, diis popularibus multis imperitans, niſi in unum exitum evaſerunt, ut unam mortalibus æternam providentiam deſignarent, cui divinum tribuerent principatum? quin Zeno præcipue, cum antea legis æternæ vim, recta imperantem, prohibentemque contraria, certiſſimum Deum judicaſſet, eſt conatus evellere ex animis uſitatas illas perceptaſque deorum opiniones. etenim, quid Iovem, quid Iunonem, quid Veſtam, quid quemquam, qui ita appelletur, referamus in deos, cum hæc ſint aliud nihil, niſi muta & inanima, quibus, per quandam ſignificationem, hæc fuerunt tributa nomina? quam apte, quam ſapienter, quam appoſite ad Chriſtianam veritatem, de Dei Filio loquebantur, quem, quod ex Dei mente ſit genitus, λόγον appellavit! quod verbum aliquanto plus continet, quam ut uno Latino verbo exprimi poſſit. etenim, non modo ſermonem, ore prolatum, ſed animo ac mente conceptam quandam intelligentiam, oſtendit. nam D. Auguſtinus, *Verbum*, inquit, *ſi proprie ſumatur, eſt verbum mentis; vocale enim & ſcriptum, dicuntur verba, quia ſunt ſigna illius manifeſtativa.* ille igitur, hoc verbum, ex divina mente productum, hoc eſt, eadem, qua Pater eſt, natura exiſtens, induxit, hoc ipſum cum Patre individuo amoris vinculo conjunctum effecit, hoc denique, tantæ rerum omnium molitioni ac fabricæ, rectorem opificemque præfecit. quid multa? nemo fere Philoſophorum exſtitit, aut mediocri prudentia præditus, aut acumine ingenii præſtans, aut paululum in exquirendis rerum cauſis exercitatus, quin multitudinem deorum irriſerit, quin abſurdum putaverit eſſe, res impuras & abjectas, deorum honore affici; quin impium duxerit, aut ira inflammatos aut odio furentes homines in numerum deorum referri; quin ſtultum planeque furioſum exiſtimaverit, perditiſſimorum omnium mortalium effuſas in omni intemperantia libidines, adulteria, fœdiſſimoſque concubitus, atque alia ejuſmodi portenta, tanquam ſancta atque divina haberi: à quibus opinio-

opinionibus quamquam aſſenſionem cohiberent ſuam; tamen, metu pœnarum adſtricti, neque eas confutare, neque ea, quæ ipſi vera crederent, auſi ſunt in vulgus efferre; ex quo tardiores, ad hanc ſententiam profitendam, complures factos eſſe crediderim. itaque dilexerunt magis gloriam hominum quam Dei, & magis timuerunt eos qui poſſunt corpus occidere, animam autem non poſſunt, quam eum qui, poſtquam occiderit corpus, habet poteſtatem mittere in gehennam. nullus eſſet orationi meæ finis, ſi vellem recenſere omnia, quæ dicta ſunt à veteribus Philoſophis erudite atque ad veritatem appoſite. verum, niſi aliter vis, ad Platonem ejuſque diſcipulos tranſeamus.

AUDIT. Nihil mihi videtur longius, quam dum, te duce, aliquid ex uberrimis Platonis fontibus hauriam. nam audio, multa eos diligentius atque apertius, quam ſuperiores, de trina hypoſtaſi diſſeruiſſe.

MAGIST. Nulli ſunt Philoſophi, qui, ut inquit Auguſtinus, ad nos propius acceſſerint, quam iſti. nam Plato, pene evolaſſe videtur in cælum, atque hæc occultiſſima abditiſſimaque hominibus myſteria oculis excepiſſe, denique, ut idem met Auguſtinus loquitur, noſtræ religionis metas pulſaſſe. & quamvis ea, quæ ſenſerat, ne in offenſionem Athenienſium caderet, obſcure indicaverit, tamen ſic tractat, ut non omnino conſtructa atque recondita intelligentiæ noſtræ oculis eſſe voluerit. quam multa loquitur, de Patre Deo! quam multa, de Dei Filio! quem Græce appellat paternum intellectum, paternam mentem. de Spiritu ſancto interdum non ſatis aperte loquitur, quod intelligamus, cum eum vocat patris & filii medium, quamvis, iis verbis Spiritum ſanctum ſignificari, dici à nobis poſſit, quem nec Patris tantum nec Filii tantum ſed utriuſque Spiritum confitemur; vel, cum eum appellat animum, per naturam rerum commeantem. Sed, quam frequens eſt in trium divinarum perſonarum commemoratione! ut pene, beatam immortalemque naturam, unam eſſe natura, triplicem hypoſtaſi, confitetur! patrem, ſummam unitatem appellat, quod omnia fundat ac mittat ex ſe ſe, ipſe autem à nullo mittatur; filium, ſummam veritatem nominat, quod ſit patris mens,

ratio,

ratio, atque ſapientia; Spiritum ſanctum, non obſcure, ut alias, ſed aperte atque lucide, ſummam bonitatem vocat, quod ex Patris Filiique voluntate, ad ſe amandum impulſa atque incitata, procedat; unam dicit eſſe unitatem non tres unitates, unam veritatem non tres veritates, unam bonitatem non tres bonitates. nam, aut uni deeſſet quod ineſſet in altero, & ita nulla eſſet ſumma; ſiquidem ſummum eſt illud, cui nulla fieri poteſt aceſſio; aut tantum contineret una quantum altera, & jam non tres eſſent unitates, veritates, bonitates, ſed una tantum unitas, veritas, & bonitas. unus hic, congregatę ab antiquis, Deorum multitudini fortiſſime reſtitit, & principem unum, in cælo, tanquam in arce, poſuit, qui hominum pietate coleretur. primus omnium, mundi opificem ac moderatorem Deum, non mundi ipſius mentem, non ignem, non ultimum & altiſſimum atque undiq; circumfuſum & extremum omnia cingentem atque complexum, ardorem, non legis perpetuæ & æternæ vim, non fatalem umbram & neceſſitatem, non ſempiternam rerum futurarum veritatem, appellat, ſed, proprio vocabulo, Deum nominat, cujus providentia mundum omnem & omnes mundi partes, & initio conſtitutas eſſe, & omni tempore adminiſtrari, fateatur.

AUDIT. Mira narras: ſed perge porro; nam ſum cupidus te audiendi.

MAGIST. Venio nunc ad eos, qui orti ſunt à Platone, qui cum in ea, quæ Magiſter aperuiſſet, ingrederentur, ad eam veri Dei notitiam pervenerunt ab hoc aditu januaque patefacta, ut non ab aliqua cujuſquam diſciplina, ſed à fidei lumine, ad propulſandas errorum tenebras, faces incendiſſe viſi ſint. quam multa, apud Plotinum, qui vere coryphæus appellari poteſt eorum qui coluerunt Platonis diſciplinam, de patre filioque ſapientiſſime ſcripta, reperiuntur, quæ nobiſcum mire conſentiant! nam in libro de tribus ſubſtantiis, primum, unum æternum principium atque perfectum ſtatuit eſſe, quo ſecundum ſit genitum, mens itidem æterna atque perfecta; deinde aperte, ac ſine ulla circuitione verborum, has duas divinas hypoſtaſes, iiſdem, quibus nos, vocabulis afficit. Etenim, in principio libri de Providentia, mentem illam improductum *&*

principio carentem, patrem eſſe dixit, filium autem ab eo genitum, verbum, ſicuti nos etiam, nuncupavit; ad quem ſimul hoc tam admirabile mundi opificium, tanquam ad autorem referretur. quid? non ne Auguſtinus, in cujuſdam Platonici ſcripta ſe incidiſſe, teſtatur, in quibus initium Euangelii Ioannis, totidem fere verbis, legeretur? Porphyrius, non alia principia eſſe ſtatuit, præter Patrem & Filium, quem Græci, ad oſtendendam illam omni humana cogitatione ſuperiorem profectionem, paternum intellectum vocaverunt. Ariſtoteles ipſe, quamvis multa turbet ac miſceat, & in maxima inconſtantia, ſtudio contradicendi, verſetur, unum tamen mundo præficit, cui eas partes tribuit, ut, mundi replicatione quadam, mundum regat ac tueatur. quod ſi nulla apud hunc Philoſophum, de diſtinctione perſonarum, mentio reperitur, cum aliquam earum notitiam, ſaltem ex veterum opinionibus, in ſuam uſque ætatem productis, trahere potuiſſet, id fuit propterea, quod puduit Phyſicum, & naturæ contemplatorem acerrimum, magis à fama, quam à ratione, petere teſtimonium veritatis; in qua ratione qui mentem intentam infixamque intelligentiam habuerit, capere nunquam poterit, qualis ſit, in una divina natura, hypoſtaſis cujuſque diſtinctio atque proprietas; propterea quod infinito intervallo id ſit altius, quam ut illud humana vis poſſit ſtringere. quid dicam de illo admirabili Serapidis oraculo, quod nonnulli Platonis fuiſſe putarunt, qui Serapis, conſulenti Thuli, qui in Ægypto regnavit, bello Trojano, quis nam eſſet beatior ſe, reſpondiſſe fertur, his verbis,

> Πρῶτα θεὸς, μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς,
> Σύμφυτα δὴ τρία πάντα καὶ εἰς ἓν ἰόντα. hoc eſt,
> *Principio Deus eſt, tum Sermo, & Spiritus iſtis*
> *Additur, æqueva hæc ſunt, & tendentia in unum.*

Iam prodeat in medium Mercurius Ægyptius, qui, quod unam in Trinitate divinitatem agnoverat, eamque palam enunciaverat, dictus eſt Triſmegiſtus. quam admirabilia, quam, in homine veræ religionis experte, prorſus incredibilia, de tribus hypoſtaſibus tradidit! nec quemquam vidi ex antiquis ſapientibus, qui majorem partem, divinitus nobis traditæ diſciplinæ, in medium attulerit,

aut dilucidius expreſſerit. ut Patrem à Filio diſtinguit! ut Spiritum ſanctum eſſe alium ab utroque profitetur! ut, Filii à Patre profectionem, generationem appellat! ut eundem, ab illo, non ex certo tempore factum, ſed ex æternitate genitum aſſerit, Deum de Deo, lumen de lumine! ut ad ejus nomen, Angelis hominibuſque ignotum, enunciandum, nulla poſſe adhiberi vocabula docet! ut unam eſſe divinam naturam, ſed triplici hypoſtaſi perfectam, Patre, Filio, & Spiritu ſancto, ſapiens Philoſophus ait! ut eundem hunc locum diutius urget ut ſæpius prædicat, hunc ſolum eſſe Deum, qui ſit omnium parens ac dominus, qui, nulla ſubjecta materia, hæc opera magnifica atque præclara, terras, maria, cælum, ejuſque inſignia, ſolem, lunam, aſtraque fixerit, in hoc omnem divinitatem reponi, extra hunc, nullam eſſe aliam naturam, aut ab omni concretione mortali ſejunctam, aut ex animo conſtantem & corpore, cui merito divinitas ulla tribui poſſit!

Audit. Vnde iſti, obſecro, rei tam reconditæ notitiam acceperunt? num ne tantum ingenio præſtiterunt, ut, ejus lumine ductuque, incognita aliis via, ad eam pervenire potuerint?

Magist. Neminem iis ingenii præſidiis præditum fuiſſe contendo, ut, ejus ope ac viribus, tantæ rei cognitionem expugnaverit: verum hæc primi illi parentes generis humani, divinitus edocti, filiis ſuis enunciarunt, per quos deinde ad poſteros, viros itidem excellentes ac divinos, emanarunt; denique, per Hebræos, quaſi per manus, ad Chaldæos & Ægyptios tradita, ad Græcos pervenerunt.

Audit. Ego ſi recte memini, aliquot mihi docti viri narrarunt, eſſe opinionem multorum, Hermetem ante Pharaonem floruiſſe. quomodo igitur hæc à Græcis, ab Ægyptiis & Chaldæis, nondum edoctis, potuit ediſcere?

Magist. Ab ipſis, inquam, Hebræis, quorum deinceps progenies in Ægypto, acerbiſſimo illo ſervitutis jugo, oppreſſa eſt. nam veriſimile eſt, hominem, diſcendi cupidiſſimum, orbem omnium peragraſſe terrarum, quæque à ſingulis nationibus docte eruditeque traderentur, exce-

piſſe, eaque diligenter memoriæ litteriſque mandaſſe. Sed his omiſſis, multa ex Sibyllinis vaticinationibus, multa ex oraculorum reſponſis, proferre poſſum, quibus quivis poſſit agnoſcere, Deum eſſe trinum hypoſtaſi, non omnino à veteribus ignoratum; ſed longiorem ea orationem & tempus ad narrandum efflagitant. Verum, etſi tanta vis ineſt in ea, quam habemus in animo inſitam informationem Dei, ut ea poſſit ipſa per ſe ſe ad Deum verum colendum, qui ſit ſapiens, allicere, attamen agnoſcere, eſſe aliquem in divinitate perſonarum ordinem, non naturæ gradibus diſtinctum, non temporum conſequentia disjunctum, non dignitatis inæqualitate imparem, ſed ejuſdem naturæ unitate præditum, ejuſdemque æternitatis, potentiæ, dignitatiſque præſtantia parem; id eſt ejuſmodi, ut nec humanæ intelligentiæ vi percipi, nec judicii acumine poſſit attingi. Deo, ac Dei Filio, id cognitum eſt, eique cui voluerit Filius revelare. qui Filius, cum ex omni æternitate in ſinu Patris contineatur, ſe humana carne veſtivit ac ſepſit; ut tam abdita tamque remota ab omni cogitatione myſteria, quoad ejus fieri poſſet, & humanæ naturæ conditio pateretur, hominibus enudaret, in mediumque proferret. Et quamquam ii, de quibus commemoravimus, multa vere ſenſerint de Deo, non tamen ingenii vel naturæ ductu, ad hanc ſententiam pervenerunt, ſed, vel à Deo ipſo didicerunt, vel, ut antea diximus, ab iis, quorum animis ſui ipſius notitiam ipſa veritas informaverat, arripuerunt, vel ab Adamo ceteriſque quaſi per manus traditam acceperunt. immo, quam, à noſtris Vatibus, Dei cognitionem furtim ſurripuerant, tot tantiſque erroribus referſerunt, ut divinam illam præſtantiſſimamque naturam, quæ, propter ejus obſcurriſſimam notitiam, quaſi cæca nox quædam, denſis ex omni parte nubibus circumfuſa perhibetur, alia etiam ipſi caligine circumvolverint; adeo ut plerique, qui in eorum dicta incurriſſent, cum multa offenderent quæ perturbarent, multa quæ falſa perſpicue, multa quæ obſcura ac difficilia, multa quæ inter ſe pugnantia viderentur, dubitantes quid eorum eſſet veriſſimum, diſperata veritate, omnem ſibi extraxiſſent funditus ex animo religionem, unus, etſi hypoſtaſium diſtinctionem

ctionem induceret, eas tamen tria individua conſtituens, diſtractione naturæ à ſe diſcerpi ac dilacerari Deum, non intelligebat. alter, quod temporum diſtinctionem & dignitatis diſſimilitudinem, una cum Filii notione, comprehenderet, tempore ac dignitate, Filium, dixit, à Patre ſuperari; non animadvertens, Deum, in noſtræ naturæ mutatione, ſervari non poſſe. alii, cum animam per omnem mundum fuſam, omnia mente ac ratione conficientem, Spiritum ſanctum eſſe cenſerent, non intelligebant, Deum à ſe, cinctum corpore externo, ac pluribus naturis coagmentatum, induci. verum fit, ut qui, ad res divinas inveſtigandas, naturam ducem ſequatur, continuo in præcipitia decurrat. quænam enim tanta vis eſt humanæ prudentiæ, ut vera divinæ illius naturæ ſpecie informari à ſe ipſa poſſit? liberæ ſunt hominum mentes, ut quidvis in ſe ipſæ videantur cogitando poſſe depingere. at, quæ nam forma, quæ imago, quamvis omnia in ſe ſumma continens, quamvis perfectione rationis excellens, quamvis omnium rerum poteſtate dominatuque digniſſima, formari effingique poteſt, quin, infinito ſpacio, perfectionis, ſapientiæ, atque potentiæ, à beata illa divinaque natura vincatur?

Audit. Equidem, multos ſæpe audivi, qui dicerent, ex contemplatione rerum cæleſtium atque terreſtrium, ad aliquam earum autoris notitiam, tanquam gradibus quibuſdam, aſcendi.

Magist. Non eſt eundum inficias, ſi per hæc tum inferiora tum ſuperiora ad caput, unde profluunt, progrediamur, quin eo deveniamus, unde tantus hic rerum apparatus ab uno divinitatis fonte emanaſſe cernatur. verum ibi nulla ſe ſe nobis offert perſonarum proprietas, nulla producentis productique diſtinctio, cum omnium, quæ ſunt in mundo, à tribus ſimul perſonis, tanquam ab uno principio, initia cauſæque ducantur.

Audit. Nonne ſaltem ex ipſa ratione boni, cujus ea in primis vis eſt, ut cum altero ſe communicet, æternæ filii generationis notitia extrahi potuit?

Magist. Non ideo, quod ſumma bonitas ſolitaria non ſit, ſed ad ſe communicandum quam aptiſſima, concludemus ita, ut dicamus, Deum, quo ſe à ſolitudine

vindicet, adeo totam ſuam naturam alteri dare, ut ſit alius ab ipſo, ut nihil vel de ſe diminuatur vel in illo altero deſideretur, ut unam eandemque gerat tum ipſe tum ille naturam; ſed huic ſummo bono ſatis eſſe putabimus, ſi ſe, eo modo quo fieri poſſit, & ſicut in nobis uſu venire videmus, impertiat.

Audit. Saltem, ex inſita hominibus vi ac voluntate generandi ſui ſimile, de æterna Chriſti generatione conjici poterit, vel aliqua ejus cognitio, tanquam lux quædam, effulſerit.

Magist. Vide, quam inde aliqua lux veritatis effulſerit, ut multæ etiam tenebræ ignorationis eruperint. nam, qui, ad inveſtigandam æternam Chriſti generationem, omnia ad hujus humanæ atque mortalis exemplum exegerunt, primum non viderunt, quam multis partibus in hominibus generatio manca atque imperfecta inveniatur. nam, ſi eadem ac par ratio ſit generationis humanæ atque divinæ, duæ in Patre Filioque naturæ, inter ſe diſtinctæ, conſtituantur oportet. hac itaque ratione, aut traducenda erunt à nobis omnia in Deum ad ſimilitudinem imbecillitatis humanæ, ita ut, quemadmodum hypoſtaſes plures, ita etiam naturæ divinæ plures inducantur, aut mens illa divina ac beatiſſima, omni generatione divina ſpolianda erit, eâ tantum illi relictâ, qua omnia, quæ ſub ſenſus cadunt, tanquam parit ac fundit ex ſeſe.

Audit. Quid ſi, cum antea intellexerimus, Deum eſſe undequaque perfectum abſolutumque, non ne ſimul intelligemus, eundem generandi facultate præditum eſſe? qua facultate ſi careat, nemo plane intelliget, quomodo ſumma illi perfectio tribui poſſit.

Magist. Non idcirco quod nulla in Deo perfectio abſolutioque deſideretur, humano intellectui perſuaſum eſt ſatis, Deum eſſe unum natura, triplicem hypoſtaſi, quod ſummam continet perfectionem; quoniam id ſi quadam naturalis rationis quaſi trutina examinetur, totum illud naturæ fundamentum, quo pleraque ſuſtinentur, manifeſtum erit everti: nimirum, quæ ſimul cum re aliqua, in naturæ unitate conveniant, nihil inter ſe differre, ſed ea eſſe plane unum & idem. non ſunt igitur, in Deo indagando perquirendoque, auxilia à natura petenda; neque

ad

ad Philoſophorum placita, neque ad ſapientum inventa confugiendum eſt, ſed ad fidem Catholicam, atque adeò ad Deum ipſum, eundum; qui, ut ſocordiæ ſtultitiæque humanam ſapientiam argueret, non magnis, non eruditis, non eloquentibus viris, ſed parvulis, indoctis, & infantibus, ſacroſanctum Trinitatis myſterium aperuit.

AUDIT. Quis poſſit exæquare verbis, immo quis poſſit cogitatione aſſequi hujus beneficii magnitudinem, quo nos proſequutus eſt Deus! ô ſummam bonitatem! ô inauditam miſericordiam! ipſo monſtrante, ipſo explicante, ipſo docente, ſine ullo labore, ſine ullo errore, didicimus illud, quo omnes natura vehimur, cujus in primis notitia imbui cupimus, ad quod inveſtigandum, tot claros, tot doctos, tot ornatos viros, ſummum & excellens armavit ingenium, quod tam variæ doctiſſimorum hominum tamque diſcrepantes ſententiæ vexarunt falſis opinionibus erroribuſque turbulentis.

MAGIST. Magnæ omnino, atque immortales Deo à nobis habendæ ſunt gratiæ; qui quidem multifariam multiſque modis locutus eſt olim patribus in Prophetis, ſed, quæ eorum ab ore prodibant, ita erant rerum ſimulacris, velut involucris, obducta atque recondita, ut, contemplandi cupidiſſimis, ne aſpiciendi quidem poteſtas fieret. itaque noviſſime, diebus iſtis, locutus eſt nobis in Filio; qui ideo formam & figuram hominis induit, ut ſe nobis daret ad inſpiciendum. nam, quemadmodum ſenſa mentis innoteſcere, niſi verbis circumveſtiantur, non poſſunt; ita etiam, æternum Verbum, à divina mente conceptum, quo ſe hominibus indicaret, naturam humanam, tanquam aliquam veſtem, decuit accipere. hoc beneficium quantum ſit, ne intelligentia quidem percipi poteſt. etenim, quid erat hominum vita miſerius? quæ nam illi peterant tenebræ, iis craſſiores obſcurioreſque contingere, quas ignorantia pepererat? inſitum atque innatum erat (ut tu paullo ante dixiſti) in animis hominum, eſſe Deum; cautum erat omnium populorum legibus, ut aliquod numen coleretur, eidemque cultus, honores, preces adhiberentur; ſed quis nam eſſet, tanto faſtigio dignus, peræque apud omnes ignorabatur. philoſophorum, de re tam obſcura, ſententiæ, non tam eam illuſtrabant, quam tene-

bris offundebant. cui nam eorum veniſſet in mentem, cogitare ; tres hypoſtaſes, res inter ſe diſtinctas, una atque eadem divinitatis natura contineri? quis, ut hanc in ſumma rerum omnium communione diſtinctionem, & in tanta diſtinctione communionem, excogitaſſet, (quod fieri non potuiſſe intelligo,) eam veneratus eſſet, & non potius irriſiſſet, ac, velut ægri ſomnia ac deliramenta, non exiſtimaſſet? itaque pro ſuo quiſque ſenſu ac judicio loquebatur. aliud Argivis, aliud Afris, aliud Romanis, Deus videbatur: denique, ſumma erat inter omnes lis atque contentio; quæ niſi ab Euangelio dijudicata fuiſſet, neceſſe erat homines in ſummo errore & in magna Dei ignoratione verſari, nulli in cælum homini aditus patuiſſet; æternæ beatæque vitæ potiundæ, omnis ſpes nobis erepta fuiſſet; ſiquidem, ut inquit Ioannes, *hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.*

AUDIT. Audio, eſſe Ethnicos complures, qui hoc ſolo nomine Chriſtianam religionem irrideant, eamque ruentem cadentemque appellent, quod nullis humanæ Philoſophiæ radicibus fulta nitatur.

MAGIST. Immo, idcirco ſtabilis & firma dicenda eſt, quod non in hominum inventis ſed in divinis traditionibus, non in humano ingenio ſed in Deo, poſitas radices defixaſque detineat. Dic, obſecro; infinitum ne eſſe, & nullam, ut ita dicam, extremam oram ac determinationem Deum illum habere arbitreris, quem homo, res finita & exigua, ſua ipſius mente, quaſi complexu, cingat atque coërceat? non ne jure leviſſimus habeatur, qui Deum, autorem naturæ, rebus ab ipſo factis, infinitis partibus majorem, cenſeat poſſe comprehendi ab homine, qui intra anguſtos naturæ terminos contineatur? quis non merito ſtoliditatis ſtultitiæque arguatur, qui non intelligat, ſi iis rebus divinitatem tribuat, quæ ipſe vel ſenſu vel intelligentia percipiat, ſe, aut longe inferioribus, vel certe nihilo ſe melioribus rebus, divinum principatum eſſe daturum?

AUDIT. Iam non miror id, quod antea mirabar, ab antiquis ſpecies hominum collatas in deos, Solem, Lunam, & reliqua ſidera, deorum vocabulo nuncupata, improbos, impuros, impios ac ſceleratos Reges, à populis, ambi-

ambitioni ſuorum Principum adulantibus, divinitate donatos, &, quod pejus eſt, vim divinam, in lapidibus mutis, in herbis, arboribus, frugibus, eſſe poſitam; in quibus, cum careant ſenſu, careant mente, careant prudentia, careant voluptate, non viderant, ubi mens conſtans & vita beata poſſet inſiſtere. non, inquam, amplius hoc miror; cum, ad Deum inveſtigandum, non divinum ejus numen, ſed ſe ipſos duces ac magiſtros habuerint.

MAGIST. Recte ais. nam, quemadmodum, ſi quis altiſſimo & concitato mari, nullis litoribus clauſo, nullis portubus diſtincto, fracto navigio, malo, remigibus, velis, armamentiſque omnibus exuto, deportetur neceſſe erit, aut globoſis turbinibus eum raptum mergi, vel procellis undique concurſantibus ictum, in vada atque ſyrtes impelli: ita eos, qui immenſo divinitatis pelago, ſine cæleſti ſpiritu, quo tanti curſus celeres ac certi dirigantur, ſine fide, hoc eſt, ſine certo firmoque navigio, feruntur, aut divinæ naturæ profundum, myſteriorum quaſi vorticibus, hauſtos, ad terram evomet, aut variis errorum atque impietatis ſcopulis fractos & comminutos elidet.

AUDIT. O egregiam fidei Chriſtianæ præſtantiam! ô Deum de hominum genere optimè meritum, qui tanta, tamque neceſſaria nobis myſteria aperuit! Sed, ſi placet, quæ de tantis rebus fide Chriſtiana traduntur, tanquam concluſionis loco, brevi oratione complectere, &, quamvis ea à te diſertè copioſèque tractata ſint, tamen præcipua eorum capita, tanquam in compendium relata, audire cupio. ita enim in memoria altiùs hærebunt.

MAGIST. Geram tibi morem. Atque hæc ſunt, quæ de Deo trino & uno in primis fides Catholica docet. videlicet, divinam illam præſtantiſſimamque naturam, quam Deum appellamus, ita unam ac ſimplicem eſſe, ut tamen perſonarum diſtinctionem, ſine ullo divinitatis, dignitatis, temporis, vel potentiæ diſcrimine, recipiat. Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, à nemine gignitur. Filius, quamvis à Patre producatur, tamen illi coævus exiſtit, magnitudine, potentia, ac majeſtate prorſus æqualis. Spiritus ſanctus, tametſi ab utroque procedat, ne minima quidem ex parte Patri Filioque inferior conſtituitur. Tres ſunt perſonæ, una omnino natura. nam, ſi mente atque

 ratio-

ratione, ortum, proceſſum, eaque quæ comparationem perſonarum inter ipſas ſignificant, detrahamus, nihil planè ſupererit quod contemplemur, niſi una mens, una bonitas, una æternitas, unus Deus, aperta ſimplexque mens, tota per ſe ipſa cohærens ac permanens, nihil habens externum & adventitium, nihil concretum quo diſtrahi poſſit. Pater, in omni ſeculorum æternitate ſe ipſe perfecte intelligit; at id, quod ex hac intelligentia producitur, non eſt habitus, quemadmodum in hominibus, ſed Deus, re ipſa, à producente diſtinctus, ac vocatur Filius, ideo, quod ſit vera generatione productus; quæ generatio quamvis enarrari, propter ejus celſitudinem infinitatemque, non poſſit, nihil tamen deſideratur in ea, quod ſit proprium generationis. primum, quia id producitur, quod eſt intrinſecum generationi; nimirum res, quæ res eſt Deus; deinde, quia oritur à principio vivente; nam *pater dedit filio, vitam habere in ſemet ipſo; ſicut & ipſe habet vitam in ſemet ipſo*; tum quia oritur à fonte vitæ conjuncto, cum *ex utero ante luciferum genitus* dicatur. Atqui, poterimus eum Patri non ſimillimum judicare, qui, quæcunque habet à Patre, ſua eſſe teſtetur, qui ita totum patrem refert, ut ab Apoſtolo Paulo, *ſplendor patris, & figura ſubſtantiæ ejus*, appelletur, qui prodit à Patris mente, ſui ipſius ſimilitudine informata, quem allocutus eſt Pater, cum dixit, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Pater igitur improductus, Filius à Patre productus; Pater, principium, principio carens; Filius principium, à principio emanans. Hi demum inter ſe amant, qua dilectione amorem ſpirant æternum; qui non eſt aliqua affectio, ut diximus, ſed ipſemet Deus, cum Patre filioque unam conſtituens eandemque naturam; non tamen filii nomen obtinet, non ejus productio, generatio dicitur, ſed proceſſio nuncupatur; cum, non ex intellectu, ſui ipſius ſpecie ſimilitudineque impreſſo, ſed ex Patris filiique voluntate, amoris impetu, ad ſe diligendum impulſa, exiſtat, ac nomen inveniat. Sed jam, cenſeo, quieſcamus, & ab hac ſermonis ſeveritate animum mentemque laxemus.

DIALO-

DIALOGVS SEXTVS.

GABRIELI NAVDÆO,

omnibus laudibus cumulatiſſimo,

IANVS NICIVS ERYTHRÆVS

S. P. D.

SErmo, cum Lapſo poſt pœnitentiam habitus, alios duos ex ſe Dialogos genuit; unum de tentatione, alterum de præſentia Dei. nam, cum ille jam, divina ope, meritriciæ illius conſuetudinis laqueos dirupiſſet, neque tamen pacem atque otium ſibi ab inimicis ſuis dari intelligeret, ſed novas perpetuo machinas, ad ipſum expugnandum, admoveri ſentiret, hanc inimicorum ſuorum pertinaciam atque ſævitiam, in dialogo de tentatione, apud magiſtrum ſuum conquerens, multa ab eo accipit, huic bello, quod cum iis hoſtibus geritur qui ſub aſpectum non cadunt, maximè opportuna ac neceſſaria. deinde, cum ſibi perſuaſum eſſet, nullam eſſe fortiorem medicinam, adverſus animæ vulnera, quam intimum animi dolorem, ex injuriis Deo illatis conceptum, rurſus in Dialogo, de Dei præſentia, ab eodem magiſtro diſcit, nihil tam hunc dolorem præſtare, quam accerrimam attentiſſimamque de Dei præſentia cogitationem. fieri enim non poteſt, ut, qui tot ſcelera atque flagitia, in ipſius Dei oculis, ſe perpetraſſe meminerit, non continuo, dolore omnium maximo correptus, lacrimarum imbrem ab oculis mittat, &, quod in primis refert, cum novorum ſcelerum occaſio ſe dederit, hac ſola cogitatione, quod Deum *præſentem habeat, à peccando deterreatur. hac cogitatione, tanquam freno aliquo, retinebant appetitus ſuos, ne longius evagarentur, veteres illi, quibus nullum adhuc veræ religionis lumen illuxerat, quorum unus,*

Nec tibi, celanti, fas ſit peccare; paranti
Sit Deus, occultos qui vetat eſſe dolos.

Non arbitror, exſpectari à me rationem, cur hi potiſſimum Dialogi ad te mittantur; cum convenerit inter nos, ut, quæcunque in hoc genere, productioribus his noctibus, ex me prodierint, in tuo nomine exeant. Vale, meque ut facis dilige. IV *Kal. Februar.* CIↃ IↃC XL.

DE TENTATIONE.

DISCIPULUS. MAGISTER.

DISCIPULUS.

MVltis atque perpetuis tentationum aculeis premor, urgeor, ſtimulor, fodicor.

MAGIST. Adeo ne magnum hoc tibi videtur? an neſcis, nos fuiſſe miſſos in hanc vitam ad laborem, non ad quietem, in perpetuas vigilias, non in ſomnum, in certamen, non in otium? nunquam ne audiviſti, *militiam eſſe vitam hominis ſuper terram?*

DISCIP. At non unus eſt hoſtis, qui mihi ſit metuendus, repellendus, ac feriendus; ſed plures ſunt, atque feroces. non unum genus pugnæ mihi ſubeundum eſt, ſed varium ac multiplex; ut bellatoribus, multo quam ipſe ſim fortioribus ac præſtantioribus, poſſit etiam timorem incutere.

MAGIST. Quid? cum pluribus, eodem tempore, congrederis, ac varium pugnæ genus inire compelleris? at id contigit, quod ſciam, præter te, nemini.

DISCIP. Id ſcilicet unum mihi reſtat ad labores & ærumnas quibus cum conflictor, ut à pluribus, eodem tempore, vario belli genere, oppugner. nondum ita Deum habeo iratum atque infeſtum, ut omnes in me ſimul meos hoſtes impetum facere ſinat, ac varium belli genus intendere; ſed, ajo, ſingulos viciſſim me aggredi, ac, modo

hoc,

hoc, modo illhoc genere pugnæ, ad terram affligere atque enecare conari.

Magiſt. Si cetera divinæ in te miſericordiæ argumenta deeſſent, non ne id unum magnum atque admirabile videri debeat, quod tot tantorumque hoſtium vim reprimat, neque ſimul omnes in te patiatur irrumpere?

Diſcip. Improbus humani generis hoſtis, turpium voluptatum cogitationibus, frequentius meum animum pellit ac verberat, quam honorum vel divitiarum cupiditatibus.

Magiſt. Facit id, quod Imperator experiens ac fortis, qui, in expugnandis urbibus, eo copias ſuas admovet, ubi locus ſit minus munitus ac fortis, aut ubi ſæpius de hoſte victoriam retulerit. Etenim, tanquam canis venaticus, odoratur, indagatque inclinationes hominum vitioſas ac malas, &, quo quiſque propendet, in id eum alliciendo ſuadendoque compellit.

Diſcip. Fateor, me ad vitia libidinis eſſe propenſum in primis. etenim nulla mihi paulo liberalior mulieris cujuſpiam forma fit obviam, quæ non vehementer moveat appetitum animi mei, meque ad ſe amandum alliciat, ac, niſi divina auxilia præſto eſſent, omnis mihi plane, ad reſiſtendum, vis conſiliumque deeſſet.

Magiſt. At hæc improba vitioſaque natura edomanda eſt, & in ordinem, ut ajunt, redigenda, hoc eſt, rationis imperio ſubjicienda. nihil enim, hoc tam egregium facinus aggredi conantem, ita adjuvat, ut, ejecta omni mollitie, fortem adverſus vitia animum ducere. etenim hic, non magis tuus quam communis omnium hominum hoſtis, eo majores, ad nos oppugnandos, animos ac ſpiritus ſumit, quo nos magis, ex animi mollitie, fractos ac debilitatos agnoſcit. neque aliunde, quam ex noſtra timiditate, contemtibilis hic ceteroqui hoſtis, adeo eſt truculentus ac ferox. dicit enim magnus Gregorius, *Si, quem tentat, invenit Dæmon habere molle cor, ibi figit pedem.*

Diſcip. Annus hic agitur quartus & vigeſimus, poſtquam mihi eſt cum hac peſſima inclinatione bellum atrox atque perpetuum; verum, adeo non contigit, meo eam

eam ex animo depellere, ut ibidem in dies altius hærere, ſeque firmioribus, ut ita dicam, præſidiis munire tuerique animadvertam.

Magist. Adeo ne id mirum tibi videtur? an ignoras, Dæmonem eo nobis bellum acrius inferre, quo plura atque majora è cælo præſidia ſuppeditantur? at facit injuriam divinæ erga ipſum benignitati, qui, ab eo totis licet viribus laceſſitus, animo ſuccumbit ac deficit, tanquam ſi tot tamque munita præſidia non ſatis ſuperque ſint ad eundem repellendum, & in fugam conjiciendum. ut non immerito, Paulo, cupienti rogantique, ut tam moleſtus à ſe hoſtis repelleretur, reſponderit Deus: Quid vereris cum illo contendere? i, congredere, rem ſtrenuus age; nam *ſufficit tibi gratia mea.*

Discip. Tum præſertim ſentio, in me excitari hujuſmodi motus, caſtitati contrarios, cum ſacroſancta Chriſti corporis myſteria percepi.

Magist. Non ſine ſumma ratione, vel potius, non ſine ſumma utilitate noſtra, nos permittit Deus tum præſertim hoc tentationis genere vexari, cum vehementius ad pietatis opera ſtudium noſtrum ardoremque conferimus. nam, ſi nulla ſe vis opponeret, quæ noſtrum ſtudium infringere, vel ardorem conaretur exſtinguere, vel, ut inquit Apoſtolus, ſi nullam aliam legem ſentiremus in membris noſtris, contrariam legi Dei; facile, proſperis rerum ſucceſſibus inflati, animos tolleremus, quodque ſummæ Dei in nos benignitati tribuendum eſt, nobis ipſis ferremus acceptum. verum, cum tantum ac tam acerbum odium ac bellum adverſus ſpiritum à cupiditatibus noſtris excitari percipimus, ſummittimus animos, noſtræque inbecillitatis conſcii, totos nos divinæ ejuſdem bonitati auxilioque permittimus. Sed, quæ à me jejune & inornate traduntur, elegantibus ſane verbis aptiſque, Gregorius expoſuit, cujus, in libris moralium, hæc verba leguntur: *Cum mens, tentatione pulſante, in bonis, de quibus gaudebat, concutitur, imbecillitatis ſuæ debilitate cognita, in ſpe divini adjutorii robuſtius ſolidatur; fitque, mira diſpenſatione pietatis, ut, unde malignus hoſtis cor tentat ut interimat, inde miſericors conditor hoc erudiat ut vivat.*

Discip. Quid eſſe dicam cauſæ cur me, ab his incommodis atque laboribus, humaniſſimus ac liberaliſſimus Deus, poſt tot annorum pugnam, plane non eximat?

Magist. Ne videlicet tradas te inertiæ atque ſocordiæ, ſed in perpetua cordis tui cuſtodia permaneas, eoque firmioribus illud præſidiis communias, quo cum potentiori adverſario tibi rem eſſe comperias. qui quidem adverſarius, inter cetera quibus præſtat, incredibili vigilantia eſt, neque aliud expectat, niſi dum tu tantulum oculos de cuſtodia cordis tui dejicias, quo ejuſdem, vel inſidiis vel vi impetuque facto, potiatur. etenim, ut tradit doctor ille eximius, qui, ex tradendis acutius præter ceteros ſpiritualis vitæ præceptis, ſpiritualis magiſtri nomen invenit, duabus ex cauſis Dæmon juſtas ad nos oppugnandos cauſas ſe eſſe nactum, exiſtimat; vel, cum otioſe in occaſionibus peccandi conſiſtimus, neque adverſus eas nobis fuga conſulimus; vel, cum, ex animi elatione, omnium voluptatum blandimentis, omnium occaſionum illecebris, ſuperiores nos fingimus, adeo ut, dum occaſionibus peccandi nos fuga ſurripimus, ſuam illis, ad nos inſequendos conſequendoſque, ſegnitiem ac tarditatem objiciamus. Quamobrem, dum inimicus tuus adverſus te ferocius inſolentiuſque ſe jactat, vide, ne te in illis eſſe comperiat, quos vel negligentia vel ſuperbia ſibi facit obnoxios.

Discip. At malus interdum, nullis ejuſmodi cauſis provocatus, ita me ſuis copiis in obſidionem cogit, ut omni plane commeatu, ad me ſuſtinendum, intercludere videatur; denique, ita pravis cogitationibus meum animum verſat, ut ſubvereri interdum videar, ne ille aſſenſionem ad ſe meam, adverſus animi mei ſententiam, attraxerit.

Magist. At tu omnes iſtas ejus obſidiones, inſidias, impetus, ſiquidem aſſenſio tua non acceſſerit, me autore deride. non tantum ille viribus præſtat, ut in intimos animi noſtri receſſus penetrare, ſine nobis ducibus, valeat; verum omnis ejus vis & conatus ad hæc exteriora revolvitur. nunquam enim, amantiſſimus hominum Deus, infeſtiſſimo ipſorum hoſti tantum tributum voluit, ut ir-

rum.

rumpere in eorum animos poſſit, ab eiſque invitis ac repugnantibus, improbiſſimis ſuis conſiliis aſſenſionem extorquere. quamobrem, cum Iobum, amicum ſuum, quem poſteris in exemplum patientiæ delegerat, Dæmonis libidini dediſſet, certos quoſdam fines præſcripſit, intra quos ferociſſimi hoſtis furor crudelitaſque ſæviret. etenim nihil eorum excepit, quæ extrinſecus, vel à natura, vel à fortuna, corpori accidunt; cujuſmodi ſunt liberi, facultates, optima corporis valetudo, atque ejuſmodi alia; in his omnibus eum debacchari permiſit: in animo autem, cujus omnis dominatus penes nos eſt, nihil eum voluit juris habere. *Ecce*, inquit Dæmoni, *univerſa quæ habet, in manu tua ſunt; tantum in eum ne extendas manum tuam.* Fidelis enim Deus, qui *non patitur nos tentari ſupra id quod poſſumus.* poteſt quidem humani generis hoſtis, animi virtutes commovere atque concutere; convellere ac labefactare non poteſt.

Discip. Sentio ego ſæpiſſime, pravarum cogitationum motibus ita mihi animum pelli commoverique, ut mens & conſilium eripi, atque ea arma è manibus extrahi videantur, quibus, vel tectus ipſe eſſe ſolitus eram, vel communes hoſtes ulciſci, laceſſitus. ſed, quod in primis me ſolicitum ac miſerum habeat, illud eſt, quod, ut antea dixi, tentationum earum ardor, cum deferbuit, multas mihi ſuſpiciones relinquit, ut cauſas ſubverendi, ne oppreſſa ratio manus dederit, ac Dæmoni, male ſuadenti, aſſenſionem adhibuerit: quibus ſuſpicionibus ita poſtea offendor, ut dolore triſtitiaque, quanta maxima poſſum, afficiar.

Magist. Id te conturbat? id te ſollicitat? id te miſerum habet? at, ea re commoveris, ea re perturbaris excruciariſque, quæ maximas tibi utilitates, ac ſummum Dæmoni incommodum affert. quis enim æſtimare eos fructus poſſit, cum per veram pœnitentiam id reparare ſtudemus, quod per negligentiam amiſiſſe exiſtimamus? tu, pro tenui neſcio qua coactæ aſſenſionis ſuſpicione; pœnæ loco, dolorem à te maximum exigis; at illud ex hac re lucrum feciſti, quod, damnum, ſi quod accidit, multis partibus antecedat. ſi, loco aſſis, qui tibi exciderit, talentum magnum invenires, non ne ma-

gno

gno te lucro, pro levi jactura, affectum eſſe exiſtimares?

Discip. Hæc quidem belle & ornate dicuntur; ſed, ad uſum collata, difficiliora ſunt, quam ut fere aſſequi cujuſquam exiſtimatio poſſit. neſcio alios; dicam id, quod ſæpenumero in me ipſe experior. cum enim ejuſmodi motus appetunt, à ratione alieni, ita deſtitutus à ſpiritualibus viribus, ita deſertus ab omnium virtutum præſidio, invenior, ut infirmus ac nudus cum valentiſſimo armatiſſimoque hoſte congredi videar. hinc illæ ſuſpiciones, hinc illæ lacrimæ, hinc illi dolores, de quibus dixi, naſcuntur; ſpes autem lucri, quam proponit, vel tum nulla ſe offert, vel, ſi aliqua objicitur, à timore metuque damni, aſſenſione contracti, ſuperatur, atque rejicitur.

Magist. In his anguſtiis ac difficultatibus illud unicum eſt remedium; ad pedes Salvatoris ſe projicere, ejuſque divinæ miſericordiæ, infirmitatem nuditatemque noſtram, humili ac demiſſo corde detegere. etenim, hac demiſſione animi, ac deſperatione noſtrarum virium, plus proficiamus, quam ſi, virtutibus quibusvis armati, cum inferorum monſtris in contentionem certamenque veniamus. ac, ſi mihi minus credis, audi Gregorium, unde multa ejuſmodi ſpiritualia præcepta, in primis egregia, ducuntur. *Eſt*, inquit, *magnum animi turbati ſolatium, ut, pulſatus vitiis, cum ſe quaſi nudari virtutibus conſpicit, ad ſolam miſericordiæ ſpem recurrat, & eo ſe nudari non ſinat, quo eſſe à virtutibus nudum humiliter putat; quod etſi fortaſſe aliqua virtute in tentatione detegitur, infirmitatem tamen propriam agnoſcens, ipſa melius humilitate veſtitur, & valde robuſtius quàm ſteterat jacet, cum ſibi ſine divino adjutorio ceſſat tribuere quod habet.*

Discip. Audivi, quæ ex Gregorio attuliſti; ac dabo operam, ut mihi in memoria penitus hæreant, qua inde, cum uſus veniat, tanquam ab armamentario, ea arma deripiam, quibus repellantur cogitationes, quas in nos cupiditas noſtra, tanquam furias, immittit. ſed velim, mihi ſuppeditari etiam verba, quibus divinam opem implorem. nam fit, ut tum, non modo verborum inops,

F verum

verum etiam plane infans, inveniar. quamobrem, ſi eſt apud te aliqua ei tempori apta atque conveniens oratio, eam mecum communices velim; præſertim ſi ſit rebus ac verbis abundans, ut ad implorandum divinum auxilium, quod aſſiduam, acrem, vehementem & incenſam orationem efflagitat, ſaltem verbis non egeam.

MAGIST. Quamquam non ea ſim eloquentia, ut valeam, ex tempore, commodam & diſertam ad Deum orationem effundere, attamen, utcunque potero, ea proferam, quæ mihi nunquam non profuiſſe ſenſi, quibuſque viros, omnium ſanctiſſimos & eloquentiſſimos, uſos fuiſſe accepimus.

Summe, optime, omnipotentiſſime, & miſericordiſſime Deus; quod nam eſt hoc malum? quæ nam hæc eſt conjuratio? tota Dæmonum cohors, ſuis ſedibus excita, ad me it recta, in meam perniciem advolat, inſtruitur, armatur. ſentio Dæmonum eorumdem, tanquam rugientium leonum, fremitus; video eorum in me ruentium impetum; intueor longe altiora præcipitia, ad me exſorbendum, tanquam fauces apertas habere, quam fuerint ea, quibus olim exceptus ſum miſer; ubi etiam, niſi præſens tuum auxilium fuiſſet, hærerem. improbus humani generis hoſtis, acres in me jam dudum inimicitias excepit, implacabiles jam dudum iras exercet, quod vincula, quibus me implicaveram, rupi, quia ſervitutis jugum, quod cervicibus meis hærebat, excuſſi, quod impias ejus manus, quibus detinebar, effugi. ſed adhuc mitius mecum egit; adhuc leves mihi pugnas dedit, tanquam infirmo atque imbelli; idque ſuo more veterator fecit. exſpectabat videlicet impurus, ut, pravæ conſuetudinis uſu compulſus, de recta ſalutis via deflecterem; id quia, ut ſpes erat, non contigit, commotus eſt ira atque furore vehementius, meque jam, non obſcure ut antea, ſed aperto, ut dicitur, Marte, invadit; non parte aliqua ſuorum ſatellitum. ſed omnibus copiis oppugnat. id illi dolet, id male peſſimum habet, quod videt, ſe ludibrio haberi ab illo, quem tot annos miſere luſerat. itaque id meditatur, id agit, in id, tantum quantum poteſt, ſedulo confert, ut me in ſervitutem redigat, catenis devinciat, in vincula rapiat, poſtremo ſempiternis pœnis afficiat.

ciat. ô ſalus mea, ô ſpes mea, Deus; ego nudus, inops, expers conſilii, opem tuam imploro, tuam fidem efflagito. etenim à fundamento mihi uſque commovit mare turbulentiſſimarum tentationum ille, qui, te non repugnante, tantam in bonis, tantam in liberis, tantam in omnibus corporis membris, olim Iobo tempeſtatem concitavit. heu me miſerum, quam immanes lethalium cogitationum fluctus invadunt! ut impellunt, abripiunt, agunt! ac, niſi celere tuum auxilium adſit, aut ſævos in vortices abſtrahar, aut ad infames ſcopulos præſentis occaſionis affligar. ergo, age, ô ſpes mea Domine; audi clamorem meum, fer illi ſuppetias, qui tibi, in cuſtodiam, ſuam commiſit ſalutem, qui habet te ſibi pro mœnibus, pro munitionibus, pro caſtris; hoſtis ſæviſſimi, teterrimi, importuniſſimique, malitiæ, audaciæ, furori obviam incede; noli eum pati, tanta in me confidentia graſſari, ut rapiat, tanquam leo, animam meam. jam tantam vim pravarum cogitationum, meum in animum, invexit, atque etiam nunc invehit, ut, niſi inhibeatur, verendum ſit maxime, ne illum brevi peſſum det; hoc eſt, ne tentationibus cedere atque aſſentiri compellat: quod, ſi fiat, funditus pereo. præterea, vide, Domine, & conſidera, quibus tenebris, qua mentis caligine obruar; ea enim tanta eſt, ut me conſilii incertum efficiat; adeo, ut neque quid agam neque quo me vertam inveniam. & quamvis inter tot tenebras aliquod cæleſtis tuæ gratiæ lumen eniteat, id tenue & rarum eſt adeo, ut, quo deferar, utrum in portum an in barathrum, neſciam. quare obdormis Domine? cur me deſeris, in tot periculis ſolum? prudens, ſciens, videnſque, niſi quid in te præſidii eſt, pereo. ergo tot labores mei, in exſtirpandis evellendiſque meo ab animo vitiis atque peccatis, mihi in perniciem exibunt? ergo tot conatus mei, in inſerendis eidem contrariis virtutibus, in irritum recident? ergo gaudebit inimicus meus ſuper me? ergo me irridebit ac dicet, *Prævalui adverſus eum?* quid igitur agam? deficiam ne animo, & hanc de me inimicis meis voluptatem objiciam? an, tuo præſidio fretus, obfirmabo me, neque inducam animum, Dæmonis conatibus cedere, etiam ſi in repugnando ſit vita ipſa ponenda? ita igitur agam, jacentem animum erigam, inducamque

in ſpem & cogitationem de tua miſericordia & bonitate meliorem. jubet me bene ſperare Apoſtolus Petrus, qui, correptus undis, ac pene ſubmerſus, tuum eſt auxilium ac numen expertus. confirmat ſpem meam Apoſtolus item Paulus, qui, ſupra modum gravatus, ſupra virtutem, ita ut tæderet eum etiam vivere, tuo præſidio ſublevatus, ex tot periculis incolumis ac liber evaſit.

Habes orationem, aliquanto etiam longiorem quam poſtulabas; quam, ſi tibi videtur, ediſce, ut ea pro te, in pugna tentationum, utaris. Sed, ut eo revocetur, unde huc declinavit, oratio; cum permittit nos Deus in has anguſtias recidere, noſtris rationibus & utilitatibus conſulit. nam duo illa magna bona conſequimur. primum, fit nobis perſpicua noſtrarum virium infirmitas; quæ tanta eſt, ut ſoli, ſine Deo, ne vultum quidem hoſtis ferre poſſimus. deinde, divini auxilii ſpes major accedit; quæ ſpes ibi altius inhæret, unde longius humanæ fiduciæ ratio diſcluditur. quamobrem Petrus, qui in ſummo vitæ diſcrimine hæſitaverat, ac de cæleſti auxilio patrocinioque diffiſus erat, coërcitus eſt à Chriſto, illis verbis; *Modica fidei, quare dubitaſti?* ſi igitur à dexteris eſt tibi, ne commovearis; cur timebit cor tuum, quamvis omnes omnia Dæmones moliantur, turbent, ac miſceant? cur non potius omnes eorum minas eludat, conatus contemnat, impetus derideat?

Discip. Satis jam, ad belli tempus, me tuis præceptis inſtructum ac munitum eſſe comperio. Sed quid in pace & in otio? nam incidunt ſæpe tempora, quibus nullis tentationum moleſtiis exagitor, neque perturbor, jam ut videar, defunctus omnibus periculis, poſſe id, quod reliquum eſt vitæ, in ſummo otio ac tranquillitate traducere.

Magist. Si ullum unquam eſt tempus, quo tempore ſuſcipiendus à nobis ſit metus, tum profecto eſt, cum ſumus vacui à metu. latent, in hac ſecuritate animi, occultiores Dæmonis inſidiæ, qui tum propius adeſt, cum videtur longius abeſſe. ſimulat enim malus, ſe receſſiſſe; vel recedit potius, ſed ad breve neſcio quod tempus; ſperans jam, amoto metu, interea nos oſcitantes facilius opprimi. hac preſertim arte multi ac magni imperatores, pręſtan-

ſtantiſſimas urbes longeque munita præſidia cepere; nam, ſimulatione diſceſſionis ac fugæ, perfecere, ut oppidani, metu ſoluti ac liberi, cuſtodiam ac defenſionem remitterent; at illi, occaſioni obviam euntes, puncto temporis, iis locis potiti ſunt, quæ longa obſidione expugnare nequierant. non faciunt hoc propugnatores cauti atque prudentes; qui tum maxime vigilias agunt, munitiones circumeunt, in armis conſiſtunt, cum hoſtium exercitus, foris fugam, vel profectionem, adornat. quamobrem Leo Pont. max. ſapienter nos hortatur, his verbis, *Si nolumus decipi, perpetua eſt in vigilia manendum.*

DISCIP. Dum in luto vitiorum, totis veſtigiis, hærebam, neque ita magnis à concupiſcentia mea motibus agi neque Dæmone ita infeſto uti videbar.

MAGIST. Ideo tuæ te concupiſcentiæ quietum eſſe ſinebant, quia nihil erat opus bello cum eo, qui ſe totum illis permiſerat. ſimiliter etiam, ideo tibi Dæmon moleſtus magnopere non erat, quia ſuperfluum erat omne cum illo certamen, qui ejuſdem arbitrio ac voluntate regebatur, quique ſe libenter ab eodem poſſideri ſinebat. ut igitur tu illi odioſus non eras, ita neque ille tibi negotium exhibebat. *Qui enim*, inquit Gregorius, *ejus voluntati ſubjecti ſunt, quaſi quieto ab illo jure poſſidentur; & ſuperbus eorum rex, quaſi quadam ſecuritate perfunditur.* Verum, cum excuſſo ſervitutis jugo, quo premebaris, conatus es in veterem te libertatem aſſerere, tum cœpit ille tibi gravis ac moleſtus videri, tum à cupiditatibus tuis acres tibi contentiones & bella manarunt. Rex vel tyrannus, cum urbem ac regnum, ſumma eorum, quibus imperat, voluntate, dominatu regio premit, nunquam hoſtilem adverſus cives animum gerit, ſed pacis otiique ſtudiis eoſdem in fide retinere contendit; at, cum, ſeditione facta, quos ſervitus oppreſſit, jugum excutiunt, tum ille fit hoſtis, tum copias cogit, tum ad arma decurrit. Hanc apertam Dæmonis pugnam cum iis, qui ſua vincula ruperint, & in Dei caſtra transfugerint, Spiritus ſanctus multo ante denunciat, hic verbis, *Fili, accedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia & timore, & prapara animam tuam ad tentationem.* nunquam enim, noſtri amantiſſimus Deus, tanta nos ſolicitudine curaque ad bel-

lum propulſandum paratos eſſe præciperet, niſi illud etiam grave & acerbum fore perciperet.

DISCIP. Initio converſionis meæ, non videbar experiri Dæmonem, in me, tam ſævum ac trucem.

MAGIST. Ardor ille animi & cupiditas Deo ſatisfaciendi, qua tum flagrabas, multo eum tardiorem infirmioremque reddebat ad pugnam, immo propulſabat eum à te, nec ſinebat propius accedere. etenim, ne vultum quidem ejus ferre poteſt, qui intimo animi dolore crucietur, ex peccatis concepto, ne dum congredi cum ipſo ſuſtineat; ſed fit, ut multo nos alacrius atque ſtudioſius ſpiritualem vitam inchoemus, quam eandem proſequamur. quod ſi eundem illum ardorem animi conſervare potuiſſes, nihilo nunc ille tibi moleſtior eſſet, quam erat olim, cum armatus & incenſus, irruptione facta, ipſoque depulſo, priſtinum animæ tuæ imperium recuperaſti: nunc autem ille, refectus, facit idem quod periti rei militaris ſolent, ut te, quem multum de priſtina illa virtute ac robore animi remiſiſſe animadvertit, iterum oſcitantem invadat, ac perimat. tum enim victoria prope eſſe in manibus ſolet, cum adverſarius, otioſo ſolutoque animo, alias res agit.

DISCIP. Quod nam eſt, adverſus Dæmonis inſidias, præſentius paratiuſque remedium?

MAGIST. Multa quidem à ſanctis Patribus pie eruditeque traduntur; ſed illud in primis affertur, ut audacter ac fortiter vitiis obſiſtamus, nec pravas cogitationes patiamur in animum noſtrum irrumpere, eumque obſeſſum expugnatumque, tanquam caſtellum aliquod, ſibi munire, ſed ſtatim ab initio, repellamus, neque eas ſinamus ad nos propius accedere. ita enim Dæmoni omnem tibi nocendi facultatem ademeris. nihil enim tam ille expetit, quam ut aliquis ſibi ad nos aditus pateat, quo poſſit dolis inſiſtere. nam veterator magis pugnat inſidiis ac dolis, quam lacertis ac viribus; neque quidquam fert ægrius, quam cum videt, ſe procul à cordis noſtri foribus abigi; tum vero, plenus dedecoris ignominiæque, deſpondet animum, fugam arripit, ab oculis avolat. atque hunc Dæmonis morem, ex occulto ac de inſidiis pugnandi, itemque rationem, qua ille deturbari de propugnacu-

lis poſſit, oſtendit Deus his verbis, quæ de Eva ad ſerpentem locutus eſt, *Tu inſidiaberis calcaneo ejus; & ipſa conteret caput tuum.* nam quid in calcaneo Evæ, niſi docti Dæmonis doli, ſignificantur? quid in capite ſerpentis eliſo atque contrito, niſi vis illa, exprimitur, qua principiis obſiſtitur? ſumma demum huc redit, ut (quemadmodum amice atque ſapienter nos admonet Auguſtinus) ad ſerpentis caput ſemper conjectos oculos habeamus; videlicet ut improbis cogitationibus ad nos aditum præcludamus; ita enim Dæmoni, quæ palam vel occulte tentaverit, aſpera ac fœda omnia evenient. ac, ſi malis Auguſtinum ipſum, quam me, loquentem audire, verba illius accipe. *Quando incipit* (Dæmon) *mala ſuggerere, tum repelle, antequam ſurgat delectatio, & ſequatur conſenſio; & tunc videbis caput ejus, & non apprehendet calcaneum tuum.* juvat etiam plurimum, ut antea tetigimus, viribus plane noſtris diffidere, ac victoriæ ſpem omnem in divinæ miſericordiæ præſidiis collocatam habere.

Hæc ſunt, quæ mihi venerunt in mentem. cetera à doctioribus, & virtute ac probitate potioribus, ſi placet, exquire. Vale.

DIALOGVS SEPTIMVS.

DE PRÆSENTIA DEI.

DISCIPULUS. MAGISTER.

DISCIPULUS.

CVpio vehementer, dolore omnium maximo ex peccatis commiſſis in Deum, abripi atque torqueri. peto à te, ut, pro tua prudentia, ejus quod cupio, aſſequendi mihi rationem oſtendas.

MAGIST. Rem ſane utilem &, ad Dei miſericordiam impetrandam, plane neceſſariam efflagitas. nam intimus animi dolor, peccatorum odio ſuſceptus, animum expiat, nitidum reddit, atque apud Deum, in antiquum locum dignitatis gratiæque reſtituit. Sed mallem, alicui Theologo otioſo, & in concionibus habendis exercitato, & fortaſſe docto & erudito, quæſtionem hanc, de qua ſuo arbitratu loqueretur, imponeres, quam mihi, qui, quamvis à te, propter ætatem, magiſtri nomine appeller, harum rerum notitia uſque, propius ad diſcipuli inſcitiam, quam ad Magiſtri doctrinam ac eruditionem, accedo. attamen hanc diſputationem non defugiam, ad quam homo mihi amiciſſimus, ac pietatis ſtudio flagrantiſſimus, me jubet accedere. ſed ea tantum ex me audies, quæ partim auditione accepi, partim ex paucis illis libris didici, quos domi habeo, quoſque admodum raro, & cum eſt otium, lego. at, ſi plura & exquiſitiora expetis, non difficile factu eſt, huc unum aliquem ex iis adducere, qui hæc profitentur ſe poſſe præſtare. Verum, in præſentia, ad eum dolorem commovendum, quo te affici cupis, ea tantum

ratio

ratio occurrit, qua David Regem ſolitum eſſe uti percepimus; nimirum, ut cogitemus, quæ impie nefarieque commiſimus, ante Dei oculos nos perpetraſſe, neque ejus conſpectum veritos eſſe.

Discip. Si ad intimos animi mei ſenſus penetraſſes, non potuiſſes acutius pernoſcere, quid ego aveam ſcire. nam ſæpius audio, Dei præſentiam commemorari, eamque cogitationem iis utiliſſimam eſſe, qui volunt legi divinæ congruenter vitam exigere; nunc etiam, quantum verba tua audio, ad excitandum in nobis intimum, ex peccatis commiſſis, dolorem, plurimum prodeſſe intelligo. ſed unde, hac præſertim exercitatione uſum fuiſſe David, accipitur?

Magist. Tum aliis ex locis, tum inde, ubi, commotus, Deum affatur his verbis, *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci.*

Discip. Si hanc perpetuam eſſe regulam poſtulas, vide quid agas. nonne multa ſæpe in homines graviter vehementerque peccamus? atque, ut de ceteris taceam, nonne peccatum illud, quod David eo Pſalmo deflebat, primum erat in hominem amiciſſimum ac de ſe optime meritum, tum in conſpectu populi univerſi palam admiſſum? cur igitur tantam tamque inſignem injuriam ſoli Deo illatam affirmat?

Magist. Putasne, ea, quæ loqueris, à memoria cogitationeque Davidis excidiſſe? putaſne, ejus quem offenderat, populique in cujus offenſionem incurrerat, fuiſſe oblitum, cum diceret Deo, *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci?* immo, quia alte eidem hæc omnia inhærebant in animo, ideo Deum, quem præſertim, in Vriæ contumelia, fuiſſe deſpectum intelligebat, alloquitur. eo enim ſe nobis Deus amicitiæ & quodam quaſi cognationis vinculo eſſe devinctum vult intelligi, ut injurias, nobis illatas, ſibi factas exiſtimemus, eaſdemque vindicandi partes eſſe ſuas credamus, non noſtras. *Mihi*, inquit, *vindictam; & ego retribuam.* deinde bonus Rex ille, Dei ſolius præſentiam meminit, & non hominum; quia ſolus Deus præter ceteros eſt metuendus. nam, quæcunque ex omni ſeculorum memoria, apud omnes gentes, hominum ſævities invenit, cum eorum parva parte æquari

conferrique vix poteſt, quibus apud inferos improbis Deus, pro eo ac meriti ſunt, gratiam refert. nam illa, quo acerbiora, eo ſunt etiam breviora; at iſtis, ad ſummam acerbitatem, infiniti etiam temporis ſpatium accedit, in quo animam ſimul & corpus excrucient. demum, ille ſolus eſt metuendus, qui poteſt mittere hominem in Gehennam, hoc eſt, æternis vinculis ſuppliciiſque mandare. quod ſi pœna capitis plectitur, qui coram ſuo principe ſcelus audet admittere; quo ſupplicio dignus eſt ille, qui, in peccatis perpetrandis, omnia videntis & animadvertentis Dei præſentia non commovetur? *Miſerum me*, exclamat Auguſtinus, *quomodo ſic inſenſata facta eſt anima mea, ut non terreatur terrore nimio, dum ſtat ante Deum, & ſuas illi laudes decantat!*

D i s c i p. Quod ſi ita eſt, liceat verius exclamare: O illos miſerorum longe miſerrimos, ô ſtultorum longe ſtultiſſimos, qui, ab omni metu vacui, tam multis ſe flagitiis coinquinant ante Deum, neque ejus conſpectum verentur! nam, ſi divinæ majeſtatis præſentiæ ea vis eſt, ut etiam ex concinentibus ſibi laudes ſummum potis ſit metum atque terrorem elicere, quam formidinem, quem terrorem, iis incutiat oportet, qui non ad Deum colendum ſed violandum, non ad laudandum ſed contumeliis onerandum, ſuas omnes vires expromunt! horum ego unus, atque omnium longe deterrimus & impudentiſſimus, exſtiti. nunc demum, me eſſe miſerum, intelligo. adeone demens, adeone projectus fui ad audendum? adeone omnis à me pudor abſceſſit? *ecce* nunc *iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.* fac, Domine, pro tua ſingulari in omnes homines miſericordia, ut meæ ad peccandum hilaritati ſuccedat dolor, in fontes lacrimarum erumpens; fac, ut audaciam metus ſubſequatur, qui configat ac laceret timore horribili, ſed ſaluberrimo, audaciſſimam & impudentiſſimam animam meam.

M a g i s t. Legi, atque etiam audivi, de iis qui ſunt experti, ita ſæpe vitium aliquod, præſertim vitium libidinis, cupidorum mentes arripere, ita ferociter agere, ut, quamvis illi præſentem ſibi Deum adeſſe intelligant, quamvis multa defunctorum cadavera aſpiciant, quæ mortis

tis neceſſitatem oculis plane ſubjiciant, quamvis, æterna apud inferos ſupplicia ſibi deberi ſi in illud flagitium delabantur, ab opinione ipſorum non abhorreat; attamen, uſque eo abripi ſe à cupiditate, permittunt, ut nulla earum cogitationum,ad eos à propoſito ſcelere revocandos, vim aliquam habere videatur; &, niſi, ut Salvator noſter inquit, dies illi breviarentur, ac miſeri illi, in ſe reverſi, divino auxilio manus tenderent, quo ex puteo extraherentur in quem ſcientes prudenteſque ſeſe dejecerant, niſi ex hoc puteo clamarent ad Deum, *Non abſorbeat nos profundum, neque urgeat ſupra nos puteus os ſuum*; non fieret ſalva omnis caro. at hoc præſertim ſolet uſu venire in iis, qui peccare aſſueverunt. habet enim hoc uſus conſuetudoque peccandi, ut, aſſiduitate quotidiana & ſcelerum exercitatione aſſuefactus, dum eſt motu ſuæ cupiditatis, nihil officii ſui ratione, nihil divinæ præſentiæ reſpectu, nihil æternarum pœnarum metu, commoveatur, ſed,præ ſua libidine,pro nihilo tot minas,tot pericula,tot res ſanctiſſimas, ducat. quamobrem tibi magnopere allaborandum eſt cavendumque, ne in aliquam vitioſam conſuetudinem delabaris, quo hæc tam ſalubris, divinæ præſentiæ, cogitatio majus tibi peccati odium creet, atque acriorem animo, ex peccatis commiſſis, dolorem inurat. Sed, ut eo, unde digreſſa eſt, revertatur oratio, ideo etiam David Deum magis, quam hominem, præſentem ſibi conſtituit, quia non alias magis, quam ad Dei conſpectum, peccati gravitas magnitudoque detegitur. quid enim tam vitia rerum aperit, quam ſolis ſplendor ac lumen? ideo pannarii, tabernas ſuas veſtiarias, velis obductis, de induſtria, obſcurant, ne mercium, quas obtrudunt, vitia, ab emtoribus percipiantur; non enim intuentium oculis, ſatis in illis tenebris patet, quantum lana, unde veſtis conficitur, tenuitate, præſtet, quantum colore præniteat, quantum tinearum morſus effugerit: at eadem mercimonia, de tenebris in lucem tranſlata, ſtatim, quidquid vitioſi in illis latet, oſtendunt. ita etiam Dæmon, mercator vaferrimus,nihil tam meditatur,nihil tam ſtudet, nihil tam laborat, quam ut, in ſuis mercibus vitioſis,carioſis ac putidis,vendendis,divinæ à nobis preſentiæ lumen amoveatur, hoc eſt, cupiditatis noſtræ tene-

bris

bris obrutum, lateat; quæ tenebræ ita lumen eripiunt, ita mentis aciem excæcant, ut neque, quid utilitatis noſtræ ratio exigat, neque quid hominum exiſtimatio valeat, videre poſſimus. Etenim, inter iſtas tenebras, ac ſine illo lumine, ſe poſſe putat carius ſuas ſordes lutumque divendere, hoc eſt, pro illo theſaurum animæ noſtræ à nobis abradere: at, ubi ventum eſt in Dei conſpectum, qui Deus *eſt lux vera, qua illuminat omnem hominem*, tum palam ſe peccatorum vitioſitas, deformitas, turpitudoque oculis ſubjicit.

DISCIP. O quam vere, quamque ſapienter dictum eſt à te, nullas eſſe tenebras, neque obſcuriores neque denſiores, quam quæ à cupiditate noſtra oriuntur! nam, ſi quiſquam magno ſuo cum dedecore ac damno id expertus eſt, ego profecto is ſum; qui, libidine perditus, ita cœcus amenſque ferebar, ut, multis videntibus & audientibus, ea committerem ageremque, quæ alienatæ à me mentis ſuſpicionem injicerent. quo fiebat, ut poſtea, tenebris illis, lumine cæleſtis gratiæ, depulſis, eorum, qui ſtultitiæ meæ conſcii fuerant, aſpectum conventumque vitarem.

MAGIST. Omnino, divinæ præſentiæ lumine, cum ab eo illuſtramur, offuſa mentis noſtræ oculis, peccati nox pellitur; contractæ, veteris vitæ conſuetudine, animæ ſordes deteguntur; minutiſſimæ quæque maculæ, eidem inuſtæ, ultro ſe offerunt. id eſſe cauſæ putatur, quod viri omnium ſanctiſſimi, quo per bona opera propius ad Deum accedunt, eo magis ſe ipſi deſpiciant, & indignos judicent qui in Dei conſpectum prodeant. quod, à D. Gregorio animadverſum, elegantibus ſane verbis exponitur; quæ verba quoniam in memoria habeo, niſi aliter cenſeas, recitabo.

DISCIP. Ego quidem cenſeo, & in beneficio & gratia accipio, Gregorium tuo ore loquentem audire.

MAGIST. Audi igitur. *Sancti viri*, inquit, *quo apud Deum altius, virtutum dignitate, proficiunt, eo ſubtilius, indignos ſe eſſe, deprehendunt; quod, dum proximi luci fiunt, quidquid eos in ſe ipſis latebat, inveniunt, & tanto magis foris ſibi deformes apparent, quanto minus pulcrius eſt quod intus vident. unuſquiſque enim ſibi, dum tactu veri lu-*

ri luminis illuſtratur, oſtenditur; & , unde agnoſcitur quid eſt juſtitia, inde eruditur, ut videat quid eſt culpa.

DISCIP. O memoriam ſingularem, atque ejus, quod in te latet, ingenii argumentum! quod ſi id, quod natura ita tibi large ſuppeditavit, mihi quoque contigiſſet, profectò totum in ediſcenda hujus autoris ſcripta conferrem. me enim mire delectat illa ejus facunda, ac plena pietatis & eruditionis, oratio. ſed, quoniam tantum mihi bonum rerum natura invidit, illud in aliis mirabor, à me autem abeſſe, æquo animo patiar. tu vero perge, ut cœperas.

MAGIST. Nunquam, humanæ culpæ iniquitas quanta ſit, clarius apparet, quam cum in Dei conſpectum adducitur. tum enim ejus deformitas turpitudoque tota ſe prodit. quæ quanta ſit, ne in cogitationem quidem cujuſquam cadere poteſt. nam, ſi omnes juſtitiæ noſtræ, præ illius puriſſimæ ſanctitatis candore, tanquam pannus menſtruatæ videntur, quid ſcelus ipſum, ante eum, viſum iri exiſtimamus? ſi ea, quæ apud nos recta putantur, cum ad divinæ juſtitiæ normam referuntur, pravitati, quam rectitudini, propiora cernuntur eſſe. quam prava, quam diſtorta, quam perverſa peccata ipſa appareant neceſſe eſt, quæ iniquitatis nomen invenerunt ex eo, quod à recto, à juſto, ab æquo, longo intervallo, deflectant! hoc videtur Salomon intellexiſſe, cum dixit, *Cuncta tentavi in ſapientia; & dixi, ſapiens efficiar; & ipſa receſſit à me.*

DISCIP. Non video, quid hæc Salomonis ſententia pertineat ad rem, de qua loquimur.

MAGIST. Non eſt tibi abeundum longius; adeſt Gregorius, qui ſua interpretatione faciat ſatis. atque ex omnibus ſacrarum litterarum interpretibus eo libentius hujus magiſtri dictis tibi reſpondeo, quo impenſius ejus te elegantia atque doctrina delectari confirmas. ait enim, hanc in his verbis ſententiam includi; videlicet, tum maxime, divinam ſapientiam atque juſtitiam ab iis, qui ſe inquirunt exſpectantque, refugere, cum maxime illi ſe poſſe putant propriis operibus illam attingere. nam poſtea cœleſti lumine illuſtrati, longiſſimo ab ea intervallo ſe eſſe

eſſe disjunctos, inveniunt. ne multa; Gregorii interpretationem iis ipſis verbis, quibus ſcribitur, referam; nam æque memini ac ſuperiora. *Quiſquis*, ait, *ejus radiis tangitur*, (ſapientiæ videlicet,) *ſua illis manifeſtius turpitudo monſtratur*, *& eo verius invenit*, *quantum flectatur in vitio*, *quo ſagacius ſumma conſiderans*, *conſpicit*, *quantum diſtet à recto.* Quæ cum ita ſint, fieri ne poteſt, ut mortalium cuiquam veniat in mentem, lethali ſe ſcelere commaculare? invenietur, qui, peccatis onuſtus, in illud ſeveriſſimum Dei judicium venire ſuſtineat, ubi in ipſis etiam recte factis culpæ ratio inveniatur? quod judicium ſanctiſſimus vir David, ſupplicibus illis ac demiſſis precibus, tantopere deprecabatur, *Et non intres in judicium cum ſervo tuo*; *quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.*

DISCIP. Iſtuc etiam Iob, vir æque juſtus ac ſanctus, quantum verba ejus intelligo, metuebat, cum diceret, *Si mane me quæſieris*, *non ſubſiſtam.* mane, inquit Deo; hoc eſt, in luce conſpectus tui. mane, inquit; hoc eſt, extremo judicii die, (ita enim, memini, locum hunc explicari,) quo die omnia noſtra facta, dicta, excogitata, patebunt omnibus, qui ſunt, qui fuerunt, quique futuri ſunt; ſi ad te judicem veniam, non potero ſententiam damnationis effugere. hoc enim ſignificat illud, *non ſubſiſtam*; ut ex hominibus doctis accepi.

MAGIST. Bene didiciſti; nam ita D. Gregorius, qui tibi eſt in deliciis, interpretatur. hoc adeo hoc memini magis, quia heri, cum libros Moralium ejuſdem ſumſiſſem in manus, caſu in hunc locum incidi. Sed cetera perſequamur. ideo etiam David, quo ſe peccatorum ſuorum maxime pœniteret, Dei potius quam hominum præſentiam in memoria habebat, quia, non alias magis peccata noſtra nobis innoteſcunt, quam cum ſita ſunt ante oculos Dei; nec alias minus notitiæ noſtræ ſe inferunt, quam cum in hominum conſpectu conventuque verſantur. etenim apud homines peccata noſtra poſt tergum rejicimus, aliorum autem culpas in oculis ipſi noſtris locamus atque defigimus. quo fit, ut ſua quiſque vitia non videat, aliena, pluſquam ſibi expediat, cernat. at, Deo præſente, magna fit rerum commutatio, ac peccata aliorum

rum

rum pone nos abeunt, noſtra vero audacter oculos noſtros ſubeunt. ſumma denique huc redit, ut, inter homines, acutiſſime aliorum feſtucas aſpiciam, hærentem in oculis meis trabem non videam. Sed quid ego plura conquiram, cum liceat mihi uti Davidis exemplo, de quo antea commemoravimus? bonus hic Rex, duorum criminum maximorum reus, in eis notandis plane lippus, vel cæcus potius, inventus eſt; at, in animadvertendis aliorum ſceleribus, Argus, (qui, ut eſt in fabulis, oculeus totus fuit,) apparuit. etenim, à Nathan Propheta, de illo divite edoctus, qui, cum multis eſſet armentis ac gregibus præditus, atque omnium rerum copia refertus, hoſpiti cuidam ſuo cœnam daturus, unicam pauperculi hominis ovem, in nutricatu ejus eductam, arripuerat, ex eaque pulmenta paraverat, elatus ira, graviſſimam in eum mortis ſententiam dixit. quid potuit facere elegantius Rex æquiſſimus ac cupidus exiſtimationis bonæ? qui unicam alteri ovem ſurripuerat, morti addicit; in ſe autem, qui hominem innocentiſſimum, ac de ſe optime meritum, uxore ac vita ſpoliaverat, ne minimam quidem pœnam conſtituit. at vero, ubi divinæ gratiæ lumen illuxit, depulſiſque tenebris Deum ipſi præſentem oſtendit, illico peccatum, quod poſt ſe rejecerat, habere ante oculos cœpit, Deoque, intimo cordis dolore, dicere, *Iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper*. iſtuc idem, aliqua ex parte, Iudæis eveniſſe legitur, qui mulierem, in adulterio deprehenſam, tanquam in jus, ad Chriſtum attraxerant. nam procul à Chriſto, quia peccatum mulieris coram habebant, ſua autem facinora procul ab oculis amoverant, cogitabant, lapidibus eam obruere; ſed, ex Chriſti præſentia, ſcelerum ſuorum aſpectu percuſſi, ob quæ majori digni erant ſupplicio, quique jam ex Chriſto audierant, *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat*; nihil amplius, de inferenda mulieri nece, cogitarunt, ſed potius rationem inierunt, qua, ab oculis Chriſti, turpitudinem ſuam averterent. itaque, unus poſt alium, exierunt, incipientes à ſenioribus; ac remanſit ſolus Ieſus, cum muliere, in medio ſtans; hoc eſt, Auguſtinus inquit, remanſit vulnerata & medicus, remanſit magna miſericordia & magna miſeria.

DISCIP. Si, quiſquis, divinæ gratiæ auxilio ſublevatus, ad notitiam ſuorum peccatorum perducitur, idem etiam à vitæ pravitate diſcederet, non ita magnus peccantium numerus inveniretur. nemo enim eſt adeo profligatus ac perditus, nemo ſceleribus adeo coopertus, qui non aliquando ſcelerum ſuorum conſcientia admoneatur, qui ſibi peccanti Deum eſſe præſentem inficietur. ſed non eſt ita; nam paucos videre licet, cum hoc lumine ad ſanitatem officiumque reverti.

MAGIST. Non ſatis eſt, peccata noſtra eſſe nobis nota atque perſpecta; ſed poſtulatur etiam à nobis, ut cum divino auxilio noſtram etiam operam ſtudiumque jungamus. in pauca ut conferam; exigitur, ut adjuvanti Deo manus, hoc eſt, aſſenſionem noſtram, præbeamus. id quia plerique non faciunt, quid mirum, ſi ſemper in eiſdem vitæ ſordibus hæreant? Quid quærimus amplius? illi ipſi Scribæ & Phariſæi, qui, de adultera, Chriſti judicium ac ſententiam exquiſierant, nonne peccatum ſuum agnoverunt, confeſſi ſunt? nonne, ut recte Auguſtinus animadvertit, erubuerunt, adeo ut Chriſti conſpectum non ſuſtinerent? at, neque eos pœnituit, neque ulla vitæ emendandæ cogitatio ſubiit, neque veniæ à Deo impetrandæ ſtudium atque ardor inceſſit. quamobrem merito iis accidiſſe exiſtimatur, ut in propoſito peccandi perſeverarent, vel potius, ut deteriores, quam venerant, reverterentur. at vero adultera erubuit, & ſanata eſt; David erubuit, & miſericordiam conſecutus eſt. quamobrem? quia peccata, quæ eorum oculis Deus objecerat, deteſtati ſunt; quia ſibi remitti eam noxiam poſtularunt; quia ſerio, de novo vitæ genere ineundo, rationem inierunt. Sed ad alias utilitates veniamus, quæ percipiuntur ab eo, qui coram Deo ſe peccaſſe confiteatur. etenim, hac confeſſione, eam in ſe animi ſibi diſplicentis commotionem excitari ſentit, ut, præ pudore, neque os ſuum Deo oſtendere neque oculos in cælum audeat attollere. ante hominum ora, nihil plerunque nos pudet, quia, magnum eorum numerum multis ſæpe partibus improbitate nequitiaque ſuperiores nobis eſſe, vel cernimus vel fingimus; quocirca poſtulatur ab iis, qui peccata aliorum corrigunt, ne in iis vitiis deprehendantur, quæ in altero animad-

animadvertunt; iniquum enim eſt, ac non ferendum, ut olim vir ſapientiſſimus dixit, me velle ab altero rationem vitæ repoſcere, cum non poſſim meæ reddere. Verum, in illo diviniſſimo candore lucis æternæ, nullam maculam, nullam notam inſpicimus; contra, ita nos introrſum turpes, ita deformes, intuemur, ut ſtatim omnem de nobis æſtimationem abjiciamus, ejuſque loco ſummum noſtri contemtum ſubſtituamus. Verum, hæc humilitatis ac vilitatis noſtræ opinio quantam vim habeat, audi ex Gregorio; ac ſimul humilis demiſſique animi dignitatem atque præſtantiam admirare. ille igitur, tum hominem, inquit, aliquam æſtimationem ac pretium habere incipere, *cum ſe nullius æſtimationis ac pretii fatetur; denique tanto eum eſſe pretioſiorem Deo, quanto propter ipſum vilior eſt ſibi.* hæc Gregorius. at, non eſt ex abditis & obſcuris naturæ penetralibus, hujus rei cauſa eruenda; palam eſt, in luce verſatur. Deus enim, ut canit Pſalmographus, *humilia reſpicit in cælo & in terra.* ſed nihil ille, niſi carum pretioſumque, intuetur; abjectis rebus, quæque pretium non habent, oculos non adjicit; cum nihil, niſi *pretioſum, videat oculus ejus.* ille igitur, qui, propter animi demiſſionem, eſt ſibi ipſi abjectus ac vilis, fit etiam conſequens, ut in ſummo apud Deum honore ac pretio habeatur.

DISCIP. Animadverti, ſacras litteras, quoties aliquem narrant, ob animi demiſſionem, Deo in primis gratum acceptumque exſtitiſſe, hanc Dei in ipſos voluntatem ſtudiumque, videndi aſpiciendique vocabulis ſignificare; ut eo loco, quem indicaſti, *Qui in altis habitat, humilia reſpicit in cælo & in terra*; quæ etiam ſententia, iiſdem fere verbis repetitur alio loco, quoniam *excelſus Dominus, humilia reſpicit, & alta à longe cognoſcit*; ac B. Virgo de ſe ipſa prædicat, *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ* Deus; & aliis locis, quæ non eſt neceſſe ſigillatim omnia referre. quid igitur eſſe dicam cauſſæ, cur, ad id declarandum, hæc potiſſimum verba adhibeantur?

MAGIST. Recte inquis. ſed, non te latet, interdum, in ſacris litteris, videndi verbum, eligendi vim & notionem habere. itaque, hoc ſenſu, ille à Deo videri dicitur, qui ab eodem in aliquem apud ſe gratiæ vel dignitatis locum

cum elegitur. neque aliud videtur intellexiſſe Chriſtus, cum apud Ioannem, *Nathanael, dixit, prius quam te Philippus vocaret, cum eſſes ſub ficu, vidi te*; nimirum poſitum te ſub umbra legis, elegi. hæc enim eſt eorum verborum interpretatio. ex quo efficitur; eum potiſſimum ad ſummam amplitudinem evehi, qui ſe infra ceteros, animi demiſſione, locaverit; hoc eſt, qui ceteris ſe viliorem effecerit. quam nam affert cauſam Deus, cur Sauli imperium ac principatum in omnes Iſraëlitas detuliſſet, niſi quia ille, ſe eſſe infra omnes homines, exiſtimaſſet? Sed domum, hoc eſt, ad Dei præſentiam, revertamur. poſtremo, ex Dei præſentia, illa utilitas longe maxima capitur, quod, Deum nobis ante oculos conſtituentes, magnitudinem æris alieni intelligimus, quod cum eo contraximus; quod eſt ejuſmodi, ut, omnibus humanis opibus in unum collatis, diſſolvi non poſſit. quod ut aliqua ex parte quantum ſit pateat, veniat tibi in mentem eorum, quæ ab Ariſtotele didiciſti; qui in libris moralium docet, duo eſſe genera juſtitiæ, unum in diſtributione pecuniarum præmiorumq; poſitum; quod, quia nihil ad rem, de qua agimus, ſpectat, in præſentia omitto: alterum, in corrigendo ſitum, quo id, quod uni acceſſit & ab altero deceſſit, ei, unde receſſit, redditur; ſive id ex contractibus, qui ſponte fiunt, eveniat, cujuſmodi ſunt emtio, venditio, locatio, conductio, commodatum, & alii; ſive in iis, qui invitis nobis oriuntur, accidat, ut ſunt furta, adulteria, & alia, quæ clam committuntur, aut verbera, rapinæ, contumeliæ, ceteraque his ſimilia, quæ, per vim, alteri inferuntur. quamobrem cum peccator, ſuis flagitiis atque ſceleribus, conatus ſit aliquid Deo detrahere, ſibique arrogare; hæc injuria animadvertenda eſt; &, quia ſummam continet iniquitatem; ad aliquam æqualitatem reducenda; videlicet, ut cogatur ille, qui peccavit, ſi ſummo jure cum ipſo agatur, tantundem Deo reddere, quantum eidem eſt conatus eripere. ſed, quid poterit æquale injuriæ, divinæ majeſtati ab ipſo illatæ, rependere infelix homo, anguſtis mortalitatis ſuæ terminis circumſcriptus? profecto, erit neceſſe, ut vinctus creditori ſuo tradatur, æternis ab eo vinculis ſuppliciiſque mandandus.

DISCIP. Quod infinita ſit vis injuriæ, Deo à nobis illatæ,

illatæ, à Deo ipſo qui infinitus eſt accidit. at ego audivi, jus iſtud, in corrigendo ſitum, res tantum, non etiam perſonas, aſpicere, ideoque ſecundum proportionem arithmeticam dirigi. quod ſi ita eſt, nullam peccata noſtra infinitatem à Dei infinitate percipient, ſed, cum certa ac definita remaneant, facile erit nobis, compenſationem aliquam invenire, quæ eiſdem ex æquo reſpondeat.

MAGIST. Poteſt id quidem uſu venire in contractibus, qui ſponte fiunt, ut, ſi quiſpiam, verbi cauſa, alicui centum ex mutuo debeat, totidem illi reddat; neque ad rem attinet, utrum ille ſit vir probus an nequam. ſecus autem eſt in iis, quæ invitis accidunt. omnes enim injuriæ, ex eorum, quibus illatæ ſunt, æſtimatione penduntur. nam, quo quiſque opibus, dignitate, atque præſtantia, antecellit, eo etiam majus, ab ea injuria quam accepit, damnum accepiſſe exiſtimatur; ut, ſi infinitæ ſit æſtimationis ac nominis, ſicuti Deus eſt, infinita etiam oneratus injuria dicatur. denique totum hoc jus, in corrigendo poſitum, ſimpliciter locum habet inter æquales & liberos homines, unius civitatis mœnibus ad eandem vitæ ſocietatem incluſos; per quandam vero ſimilitudinem iis etiam accommodatur, in quorum capitibus jus nobis eſt atque poteſtas; nimirum ſervis, ac filiis familias. per quandam ſimilitudinem, inquam; quia nunquam, neque ſervus neque filius, domino vel patri, in quos injurioſi exſtiterunt, quod ſit injuriis æquale, rependerint, niſi ſi per illud ſatisfieri ſibi patiantur. unde eſt apud poëtam, neſcio quem,

Pro peccato magno, paululum ſupplicii ſatis eſt patri.

Quæ cum ita ſint, quæ nam compenſationis ratio, quod vindictæ genus invenietur, quod, pro peccatis commiſſis, Deo, Patri ac Domino noſtro, perſolutum, ſatisfaciendi vim habeat, niſi id ipſe inducat animum, accipere? unum profecto eſt, quod ille non rejiciat, immo vehementer amplectatur & cupiat; nimirum *cor contritum & humiliatum.* id igitur, magnitudinem æris alieni, quod cum eo contraximus, confitentes, piiſſimæ ejus majeſtati offeramus. ita enim, placatus, omni nos nexu diſſolvet, ac reducet ſecum in gratiam.

DIALOGVS OCTAVVS.

GABRIELI NAVDÆO, V. C.

IANVS NICIVS ERYTHRÆVS S. P. D.

STudium & exercitatio, de rebus ſeriis ad te ſcribendi, proximis Bacchanalibus intermiſſa, repetitur. at te, videor, me his verbis, increpantem audire: Non te pudet, id ætatis hominem, capite candido, ceſſationis tuæ cauſam in Bacchanalia conferre? tanquam ſi licitum ſit homini, jam prope capulari & acheruntico, quem jam diu ſatias cepiſſe harum rerum debuit, à virtute deſciſcere, ſeque inſanientium cœtibus immiſcere. na tu homo es nimis aſper ac durus, qui putes, ab hac ætate noſtra plane voluptatibus bellum indictum eſſe oportere. at ab omnibus prope conceſſum eſſe videtur, hoc tempore, cujuſvis ætatis homini, ad aliquam animi remiſſionem ludumque deſcendere. immo ſapientiæ quoddam genus habetur, una cum aliis in loco deſipere. quamquam ego, ab hac temporis opportunitate, nihil niſi à laboribus otium quietemque quæſivi; neque tamen mihi illud omnino laboris vacuum dedi. nam vetus eſt illud, eum, qui nihil agit, plane non eſſe videri. ſed, quidquid operæ ſeverioribus ſtudiis abſtuli, manſuetioribus Muſis, hoc eſt Etruſcis, adhibui. ſed, utut ſeſe res habuit, ſi ex communi hominum licentia paululum me ad otium & quietem abſtraxi, eâdem ſublata, itidem me ad ſcribendi laborem revocavi, atque ad earum rerum tractationem contuli, quæ ad ſui notitiam animum advocant, atque in earum rerum cogitationem impellunt, quibus æterna ipſius ſalutis ratio con-

continëatur. quas inter, non poſtremum locum obtinet mortis æternarumque pœnarum aſſidua ac diligens meditatio, quam, paucis diebus ante, Hugo Vbaldinus V. C. & Baſilicæ Apoſtolorum Principis Canonicus, in colloquiis familiaribus queſtus eſt mecum, à complurium animis longius abeſſe, vel ſi eiſdem interdum accedat, nullum peccatorum odium afferre, nullumque virtutis amorem conciliare. Eum ego ſermonem, non tanquam habitum, ſed quaſi nunc primum inter me & illum habeatur, ſum conatus exponere; & Hugoni Magiſtri partes tradidi; mihique Diſcipuli, multa ab eo diſcere cupientis, ut par eſt, munus attribui. Vale. Kal. Martii CIↃ IↃC XL.

CVR, METV ÆTERNARVM POENARVM, TAM PAVCI A PECCATIS ABSTINEANT.

HVGO. NICIVS.

HVGO.

Credis, eſſe inferos, hoc eſt, eſſe loca tetra, fœda, ignibus obſita, ac terræ viſceribus abdita?

NICIVS. Credo; atque, ita verum eſſe, mihi, ex fide, perſuadeo.

HVGO. Credis, in his locis, damnatorum animas retineri, atque illis ignibus excruciatas, eatenus temeritatis ipſarum pœnas perſoluturas, quo ad ſimplex illa, æterna, ac beata mens, nimirum Deus, divinum principatum obtinebit?

NICIVS. Iſtuc etiam, fides Catholica adigit me, ut credam.

HVGO. Exiſtimas ne, eſſe aliquos ex Chriſtianis, quibus ſatis hæc perſuaſa non ſint, vel qui, ab eiſdem omnino aſſenſionem ſuam cohibeant?

NICIVS. Neminem, arbitror; vel, ſi ſit aliquis, eum ego non magis in Chriſtianorum numerum adſcriben-

bendum cenſeo, quam Ethnicos, quam Turcas, quam reliquos omnes, quibus noſtræ religionis capita, anilia deliramenta, atque hæc apud inferos ſupplicia, quæ loquimur, pictorum poëtarumque portenta eſſe videantur. nam qui ſe, in his rebus, ab omni aſſenſu ſuſtineat, mendacii Chriſtum arguat, qui de ſuppliciis improborum æternis, graviter & copioſe, in Euangelio multa diſſeruit.

Hugo. Si nulla, de hac re, Chriſtianorum animis dubitatio poteſt incidere, cujus veritatem una cum fide Catholica hauſerunt, cur pene innumerabiles inveniuntur, tantopere ad omne genus nequitiæ flagitiorumque projecti? libet hoc mihi ex te ſciſcitari, qui ais, totam rem hanc, de æternis damnatorum ſuppliciis, ab opinione fidelium non diſcrepare.

Nicius. Cur etiam fures, prædones, ſicarii, cum ſciant, ejuſmodi delictis, pœnas legibus conſtitutas, nihilo magis ab alienis rebus, vel à civili ſanguine, manus abſtinent?

Hugo. Non eſt par atque eadem ratio Dei & aliorum judicum. nam, quod omnem ſibi cum humanis judicibus rem eſſe videt, ſperat improbus, peccatum ſuum vel occultum fore vel pecunia aut gratia redimi poſſe; ideo facilius in illud proruit atque delabitur. at vir Chriſtianus, cum aliquod in ſe flagitium vel ſcelus admittit, minime illud Dei, cuncta videntis atque animadvertentis, oculis ſubtrahi poſſe confidit, ſed pro certo habet, deducendum eſſe in ſeveriſſimum Dei ejuſdem judicium; qui Deus neque doctis vafri cujuſquam dolis decipitur, neque divitis vel potentis cujuſpiam pecunia vel gratia flectitur, neque eloquentis hominis artificio in errorem inducitur. præterea, ſatis illud ſibi perſuaſum eſt (quod magnam vim habere, ad ipſum retinendum in officio, debeat) in divino judicio neminem, præter reum, ad dicendam cauſam admitti. quamobrem, neque M. Tullii, neque Demoſthenis, neque cujuſquam alterius, Græci vel Latini, oratoris eloquentiam cuipiam ſibi uſui fore, ſed ſibi ipſi cauſam pro ſe dicendam, ipſum ſibi patronum futurum, ipſum eundem accuſatorem ac teſtem. His poſitis; ſi quis, cædem

dem vel furtum patraturus, pro certo ſciret, facinoris ſui ſpectatorem fore judicem ſeveriſſimum, apud quem nullus neque defendendi neque inficiandi relictus ſit locus, ſed tantum æqua ac, pro meritorum cujuſque ratione, ſevera judicia reſideant; nunquam eum, arbitror, tantum cupiditatibus ſuis conceſſurum, ut earum cauſa, certiſſimam damnationem & mortem incurreret. at Chriſtianus homo, cum animum ad peccandum appellit, ſine ulla hæſitatione certum atque exploratum habet, eſſe cervicibus ſuis impoſitum, omnia obſervantem atque animadvertentem Deum; neque tamen dubitat, graviſſimas illi injurias & contumelias imponere. at, ſi recte rationem ſubducas, longe plures invenias, qui hominum metu, quam qui Dei reverentia, à peccando deterreantur; tanquam horribilius ſit, incidere in manus hominum, quam in manus Dei viventis.

NICIUS. Quod Deus ſæpe minus quam homines metuatur, duabus in primis cauſis referendum eſt acceptum: primum, tarditati divinæ animadverſionis; nam, quod Deus minitatur, in diem eſt; quod autem ſupplicii ex lege civili ſtatuitur, ſtatim eſt paratum; at major libido eſt improbis, peccandi, cum pœna abeſt & licentia conſecuta eſt, quam cum metus judicis prohibet, ac ſupplicii prope præſentia deterret. proxime huic accedit temeraria quædam & ſtulta divinæ miſericordiæ fiducia; quam, ſupremo vitæ tempore, dormientibus atque aliud agentibus nobis occurſuram putamus.

HUGO. Quam utraque harum cauſarum ſit levis ac frivola, perſpicuum eſt magis, quam ut à me dici poſſit. primum, quid eſt tam propinquum quam æternum ſupplicium, quod cum mortis extremitate conjungitur? quæ mors omnibus ſemper horis impendet, nec quiſquam eſt tam adoleſcens, vel puer, cui exploratum ſit, ſe ad veſperam eſſe victurum. deinde, quid ſtultius dici fingique poteſt, quam, incertis futuri temporis eventibus æternam ſalutem ſuam committere? Sed quam tutum ſit, hujus præſertim ſpei fiducia, finem peccandi non facere, tum multorum exempla docent, quibus hæc temeritas exitio fuit, tum declarat in primis

Eccleſiaſticus, qui, *Ne tardes*, inquit, *converti ad Dominum, neque differas de die in diem; ſubito enim venit ira ejus.* ſapiens videlicet homo, ac divino ſpiritu præditus, vel potius ejus ore Deus, qui ſtulta hominum conſilia novit, patris animo ac voluntate nos admonet, ne divinæ gratiæ præſidiis abutamur, neque ea nobis ſuffragari ad peccata perpetranda poſcamus. nam miſericordiæ, ex improviſo, ira ſuccedit, & noſtræ à nobis arrogantiæ ſtultitiæque pœnas longe maximas atque graviſſimas exigit.

NICIUS. Si cum hoſtibus Chriſtianæ religionis res nobis eſſet, atque audirent ex te, divina auxilia, quorum infinita vis eſſet, extremo tempore, improbis hominibus denegari, fortaſſe in eo offenderentur, ac dicerent, Quid tu nobis divinæ benignitatis fluenta jactas tanta ſe in hominis animum largitate diffundere, ſi, cum ille maxime eorum eſt indigens, areſcunt atque deficiunt? quid illi prodeſt, eatenus Deum amore in ipſum atque benevolentia fuiſſe progreſſum, ut Filium ſuum unigenitum pro eodem morti ſubjiceret, ſi, cum præſertim hic amor eſt neceſſarius, ſubtrahitur, ac pro amore odium ſubſtituitur?

HUGO. Si hæc, ut ais, objicerentur, nihil eſſet, quod tam facile expedire poſſemus. non enim illis darem, aliquod eſſe tempus, ne extremum quidem, quo tempore divinæ in nos miſericordiæ vis exareſcat; ſed eam contenderem, nos ipſos nobis interdum, ne fluat, obſtruere. non ego concederem, divinum amorem à nobis ultro decedere, & dare locum malevolentiæ; ſed dicerem, ab ingrato animo noſtro pulſum excedere, & liberam odio ſedem relinquere. qui quidem amor, (quamvis per ſummam injuriam expulſus) rediret tamen, ſi, extremo vitæ tempore, vere atque ex animo, revocaretur. ſed fit, vitio depravatæ conſuetudinis, ut, ne tum quidem à ſcelere recedamus, ſed cum eodem arctius conglutinemur. quid igitur divina largitas bonitaſque culpetur, ſi ex ingentibus illis divitiis, quas nobis largitur, nihil ad nos locupletandos arripiamus? quid miſericors Deus, quid cæleſtis medicus, in invidiam crimenque vocetur, ſi remedia, ad noſtra vulnera curanda,

da, nobis oblata & tradita, in noſtram perniciem peſtemque vertamus?

Nicius. At ego à doctis eiſdemque ſanctiſſimis viris accepi, totum hunc vitæ noſtræ curſum, eſſe quoddam quaſi ſpacium, in quo humanitas ac benignitas Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti percurrat. hinc eſt, quod in divinis eloquiis, annus Domini, *acceptus*, *tempus miſerendi*, *dies ſalutis*, atque aliis ejuſmodi vocabulis appelletur. quæ ſi vera ſunt, jam nulla vitæ noſtræ pars, & in primis poſtrema, eſſe debeat, ubi non plurima divinæ benignitatis, tanquam impreſſa, veſtigia cernantur.

Hugo. Ad eorum numerum, unde hæc didiciſti, meum etiam nomen adſcribe. nam, eadem ſæpius me legiſſe audiſſeque, in memoria habeo; immo, ita prorſus ſe rem habere, confirmo; ita tamen, ſi peccandi à nobis finis conſtituatur. ceteroqui, quis eſt adeo in dialecticis rudis, vel potius, quis eſt adeo hebes vel excors, ut infinitæ Dei erga nos miſericordiæ ſummam à nobis contumeliam crudelitatemque referendam eſſe contendat? quis unquam rationem concludat hoc modo, Quia, verbi gratia, mira eſt cujuſpiam in nos benignitas, quia mira eſt ad injurias, ſibi factas, nobis condonandas voluntas atque propenſio, idcirco omnibus eum contumeliis oneremus? immo potius ſic agat, Quia, tanto ille in nos amoris impetu fertur, ut memoriam injuriarum abjiciat, dignus eſt profecto, quem amplectamur, quem diligamus, quicum officiis omnibus beneficiiſque certemus. ita etiam, cum audimus, cum legimus, cum intelligimus, uſque ab ineunte ætate, ad extremum vitæ diem, divinum ſe nobis amorem, tanquam corpori umbram, adjungere, non propterea conficitur, ut ſit ille à nobis repellendus, rejiciendus, contumeliis omnibus onerandus, &, quod rem propius attingit, ut, excluſus, repudiatus, ejectus, invitis nobis, hærere apud nos debeat: ſed illud potius ſit conſequens, ut, quoniam tam perhumaniter ſe nobis inſinuat, fundit, miſcet, totis eum animæ viſceribus excipiamus, nec pedem à nobis foras efferre patiamur. quid poteſt amanti jucundius accidere, quam intelligere, mutuum ſibi amorem benevolen-

lentiamque rependi? quid contra durius atque moleſtius intervenire, quam animadvertere, non parem ſibi voluntatem ſtudiumque retribui, ſed pro amore odium, pro beneficiis injuriam, pro honore contemtum afferri? denique, quis tam iniquus, quis tam à ratione alienus delabatur, ut dicat, perpetuum hominis, adverſus Deum, conatum & ſtudium æternis in cælo præmiis eſſe compenſandum? immo, ſi ſit aliquis in eo ſenſus, ſi mens, ſi ratio vigeat, commotus aſſeret, tam inſignem contumaciam, vel furorem potius, omnibus ſeveritatis exemplis coercendum, ſimulque, qui ita ſe gerat, aut ſe nolle in cælum migrare, quod eſt ſtultitiæ, aut inferos eorumque formidines, quas fictas & inanes putet, omnino contemnere, quod eſt perfidiæ. ſumma denique huc redit, ut ſæpius repetamus, jure eum ac merito à Deo contemni, qui Deum antea contemſerit; juſtiſſimo æquiſſimoque Dei ejuſdem judicio æternis eum ignibus pœniſque mactari, qui ſe male factis properavit ad ea detrudere, quique infernas ſedes, & anhelantem fornacibus ignem, fletum, ſtridoremque dentium, ægri ſomnia putavit.

NICIUS. Sentio, his rationibus trahi me in tuam ſententiam; & jam prorſus illi faveo. non enim fit veriſimile, quemquam data opera in tantum Dei odium offenſionemque irruere, niſi qui vel à fide vel à mente diſceſſerit.

HUGO. Macte virtute; gaudeo, tibi ab animo, tanquam ab oculis, caliginem eſſe depulſam; gaudeo, hominum incredulitatem atque ſtultitiam tibi palam eſſe factam. atque, ut omnia ſacrarum litterarum monumenta percurras, non aliam frequentius invenias, improbis ac ſceleratis hominibus, niſi ſtultitiæ, notam inuri. modo enim Spiritus ſanctus, ad numerum peccantium aſpiciens, qui tantus eſt ut iniri vix poſſit, *Stultorum*, inquit, *infinitus eſt numerus*; modo pericula eiſdem in animum revocans, in quæ temere irruunt, ſubdit, *O ſtulti, aliquando ſapite*; modo eiſdem ſanitatem exoptans atque judicium, *Vtinam*, ait, *ſaperent, & noviſſima providerent.* ex contrario, vir ille ſapiens, qui nihil tam laborabat, quam ut Deo præſto eſſet ad nutum, ita orabat, *Da mihi intellectum, ut diſcam mandata tua*; idem etiam, cum ſumma

ipſi

ipſi voluptas eſſet, ſervire divinis imperiis, *Benedicam*, ait, *Dominum, qui tribuit mihi intellectum.* Dies me citius deficiat, quam ſacrarum litterarum loca, ubi ſapiens appellatur ille cui bonum eſt adhærere Deo, ac ſtultus perhibetur qui à divinis mandatis juſſiſque deſciſcit.

NICIUS. Linquamus iſtos, quibus ludibrio ſunt æterna ſupplicia ideo, quia nihil ea à fabulis differre exiſtiment. etenim, jam nunc, ſeveriſſima Dei judicis ſententia, damnati, propediem (volat enim ætas) utrum ea falſa an vera ſint, nec ſine ipſorum malo, experientur. omnis ſit res nobis cum iis, qui profitentur, ea ſe credere, & in oculis ſemper habere, neque tamen declinant ac devitant, ſed potius, quantum fieri poteſt, in ſe attrahunt atque derivant.

HUGO. De horum ſtultitia dici, ut dignum eſt, non poteſt, qui, cum infernos ſpecus, in infinitam altitudinem depreſſos, fidei lumine, ante ſe apertos hianteſque deſpiciant, cum flammarum erumpentium globos prope ante oculos habeant, cum fletum ſtridoremque dentium, ab iis venientem, prope auribus videantur accipere, ſumma tamen voluntate, ob leve neſcio quod lucrum, vel ob ſordidam & ad punctum vix temporis permanentem voluptatem; in eos ſe ſe ſpecus immittunt atque præcipitant. quæ iſtorum ſtultitia eo majore odio digna cenſetur, quod in longe levioribus periculis propulſandis, tanta ab eis diligentia ſolicitudoque præſtatur. ô exiguis concluſa finibus vita, quam intemperanter amaris! ô nullis definita ſeculorum terminis mors, quam diſſolute negligeris! ſi exiguæ ac mortalis hujus vitæ ſalus in diſcrimen aliquod veniat, pro ea tuenda neque damnis neque laboribus neque ſumtibus parcitur, &, quod mirum videri debeat, neque vitæ ipſi conſulitur, pro cujus incolumitate certatur. nam, ſi latronum manus ex inſidiis erumpat, ſi ſævientium ferarum rabies ex ſpeluncis emergat, per objecta campis flumina, per effuſos late lacus, fuga ſalus exquiritur; ac ſæpe contingit, ut, dum latronum gladios vel ferarum dentes effugias, exundantium aquarum impetu, vel rapide decurrentium aquarum vorticibus, abſorbearis. rem miram! vitæ periculo vita redimitur. itidem, obducunt cælum nubes, inhorreſcit mare, deſæviunt venti, decidunt

cidunt imbres, atque in montium altitudines ſe ſe fluctus attollunt; continuo mercator, quas, tot laboribus exantlatis, tot periculis aditis, tot navigationibus ſuſceptis, merces advexerat, in mare demergit, &c, ſi tempeſtas acrius urgeat, etiam alimentis, quibus ſuſtentatur, navem exonerat. rem incredibilem! quo miſer vivat, illud, unde vivit, it perditum. at vero, ſi, propter avaritiam vel libidinem noſtram, divinæ juſtitiæ pelagus æſtuet, ſi, ad nos excipiendos vorandoſque, ſuas tartara fauces aperiant, malumus animam noſtram dilectiſſimam, illis excipiendam abſorbendamque præbere, quam impermiſſas voluptates abigere, vel erepta aliis bona referre. in quam ſententiam cum D. Auguſtinus, in epiſtola, ad Armentarium & Paulinam ejus uxorem ſcripta, multa docte copioſeque narraſſet, tandem ſtomachans ait: *An vero dignum eſt vel ferendum, cum contemnuntur omnia quæ amantur in mundo, ut vita, poſt paululum finienda, ſaltem ipſum paululum teneatur in mundo, & non contemnitur mundus ut obtineatur vita, quæ ſine fine apud illum eſt per quem factus eſt mundus?*

Nicius. At mihi, tanta hæc hominum, in hac mortali vita cuſtodienda, cautio ac diligentia ſuſpicionem in primis aperit, quam ingreſſus, quæram & inveſtigem, num ne aliqua alia eos cauſa, præter ſtultitiam, ad ſubeunda potius æterna ſupplicia, quam ad prætermittendas breves voluptates, impellat. etenim, cum unuſquiſque ſe diligat, non ſit veriſimile, ut, ſi in re caduca ac fragili, qualis eſt humana vita, retinenda & conſervanda tantam adhibet diligentiam, ſit tam diſſolutus ac negligens in amittendis bonis æternis. quamobrem, ab hoc ſuſpicionis aditu patefacto, non erit tibi difficile, ad intima ejus rei cauſæ cubilia penetrare.

Hugo. Vt omnes humani animi latebras & receſſus perluſtrem, nihil invenio, niſi fidei quandam infirmitatem; quæ ſæpe tanta eſt, ut propius abſit ab incredulitate, quam à fide. nam animus noſter, quamdiu eſt in hoc mortali corpore, ita plerunque à ſenſibus alligatur ad ea, quæ oculis cernimus, ut, niſi fidei firmiſſimæ beneficio ab his vinculis eximatur, ad futuræ vitæ præmia vel pœnas, intelligentia comprehendendas, evolare vix poſſit.

Nicius.

NICIUS. Quid igitur agendum cenſes, ut hæc firma neque unquam hæſitans fides, nobis eveniat?

HUGO. Cum fides ſit donum Dei, ab eo etiam atque etiam petendam eſſe, quis neſciat? atque iis præſertim precibus,quibus aliquot in Euangelio uſos eſſe accepimus; videlicet, *Domine, adauge nobis fidem*; vel iis, quas adoleſcentis à Dæmone obſeſſi parens, multis cum lacrimis, ad Chriſtum effudit, *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.* Sed cenſeo,ab hac triſtitia ſermonis, (quamquam, ex Apoſtolo, hæc ſit ejus generis *triſtitia*, quam *ſecundum Deum* appellat,) ad eam hilariratem lætitiamque, quæ item eſt in Domino, animum convertamus.

DIALO-

DIALOGVS NONVS.

Ad doctiſſimum virum GABRIELEM NAVDÆVM.

CEPARIVS;

Sive DE RECTORE ANIMARVM.

VIrgilius Ceparius, Soc. Ieſu, fuit, cum ingenio, tum eruditione, in iis, quos ex eadem Societate noverim, non poſtremus. ad id, ea erat in homine ſuavitas morum, ea humanitas, is in fabulando lepos, ut omnes, quotquot in ipſum inciderent, amore benevolentiaque ſibi conſtringerent. me autem ita ſibi devinctum habuit, ut, in eo diligendo colendoque, patriam mihi conſtituerem caritatem. itaque, in parentis eum loco colebam; neque fas eſſe mihi ducebam, ulla in re, ab ejus autoritate conſilioque diſcedere. ac me viciſſim ille eodem, quo parens, amantiſſimum liberum, amore ſtudioque proſequebatur. Hic, quia me ſacrorum librorum, atque eorundem interpretum, lectione mirifice delectari cernebat, gaudebat, atque hortabatur, ut in id ſtudium, quo tantopere capiebar, incumberem, neque, quoties per occupationes liceret, me ab eo divellerem: nam aulicis, ut tu ipſe experiris, non ita multum, ab affectationibus & inanibus officiis, ſpacii relinquitur. atque tanta erat in homine comitas, ut non gravaretur, iis, quæ à me ſcriberentur,

tur, ſedulam & attentam operam dare, legendo, & monendo, & favendo. ille erat mihi autor, ſuaſor, impulſor, ut crebros de rebus divinis, in ea Sodalitate cujus ille erat moderator, ſermones haberem; ille erat hortator, ut tam multa, quæ non me piget interiiſſe, conſcriberem; eſſent enim, ſi exſtarent, tenuitatis inſcitiæque meæ teſtimonium. interdum etiam, ad eam animi demiſſionem deſcendebat, ut non dedignaretur, quæ ipſe erudite eleganterque ſcripſiſſet, mihi legenda mandare, judicioque meo ſubmittere. quam ſæpe fiebat, ut, quæſtione aliqua in medium allata, me juberet, ex tempore, quid de tota re ſentirem, exponere! ut tum accidit, cum Collegii Rom. Rector electus, domum ad me venit, & coëgit invitum, ut, quæ ſequi quæque fugere optimus Rector, in provincia ſua adminiſtranda, debeat, ex iis quæ legiſſem quæque audiſſem, exponerem. quem ſermonem, cum eo habitum, mecum in animo reputans, litteris mandare conſtitui; magis id adeo, ut animum, eorum temporum memoria, refricarem, quibus cum ipſo conjunctiſſime vixi, quam ut aliquem ex eo fructum laudemque colligerem. Verum, ſi, quæ à me afferentur, vel leviora, vel pauciora, quam tantæ rei gravitas magnitudoque depoſcat, videbuntur, mirum videri non debeat, cum fuerint elata ex tempore, ab homine, mediocri ingenio, vulgari eruditione, &, quod caput eſt, nulla fere memoria. illud etiam vereor, ne ii, qui in hæc inciderint, ineptam, ne dicam ſtultam, meam eſſe rationem deputent, qui cum nullam unquam publici cujuſquam muneris partem attigerim, audeam aliis præſcribere, quemadmodum tradita ipſis poteſtate utantur, meque non minus dicant delirare, quam eum, qui, cum nunquam ingreſſus ſit mare, gubernatoribus ipſis rationem oſtendat, qua in ſummis maris tempeſtatibus navem dirigant, & commode ſcienterque in portum impellant; denique, alterum me Phormionem appellent, qui Hannibali, rei militaris præcepta ſuppeditem. ſed hi ferme erunt ex iis, qui virtutis obedientiæ ignari, quam ea vim habeat, & quam latis finibus contineatur, ne ſuſpicione quidem aſſequi poſſunt, ego me illi, dicto

dicto obedientem, addixeram; at verus obediens, neque, quid ſuæ vires ferant, expendit, neque ad ea quæ imperantur aſpiciens, utrum ſibi conveniant nec ne, conſiderat, ſed ſtudio parendi incenſus, quo ſuperioris imperia vocant, omnibus, ut ajunt, velis remiſſque contendit. quamobrem mihi vitio dandum non eſſe exiſtimo, ſi, obſequendi ſtudio, impoſitam mihi provinciam, quamvis humeris meis imparem, non ſum auſus abjicere. ac fortaſſe meæ huic promtæ paratæque obedientiæ hanc retulit gratiam Deus, ut ea mihi ſuggeſſerit, quæ illis etiam placeant quos regendarum animarum artem, non tam magiſtri cujuſquam doctrina, quam uſus & experientia, quæ omnium magiſtrorum præcepta ſuperat, docuit. Sed ad propoſitum veniamus.

Quum, die quodam, ſolito maturius ſurrexiſſem, ut prædiolum meum inviſerem; ille enim primum dies, poſt multos pluvios, tandem ſerenus illuxerat; jamque è domo foras pedem efferrem; fit mihi, in ipſo aditu veſtibuloque obviam CEPARIUS; &, Quo nam, ait, te agis, ô Nici?

NICIUS. Quo hic me dies pulcher & amœnus impellit. rus, nimirum; ad quod jam diu, ob adverſum anni tempus, non licuit accedere.

CEPAR. At ego, iſtuc metuens, curriculo huc veni, ut te retinerem, atque intra limen cohiberem. & ſane non minori erat opus celeritate. nam, paululum ſi ceſſaſſem, te domi non offendiſſem. Sed, quæſo, mea cauſa, ne graveris conſiſtere, & voluptatem iſtam, quam hodie percepturus fueras, in craſtinum differre. dabit enim cras etiam tibi operam tempus. nam eſt, quod tecum communicare, præter modum exopto.

NICIUS. At ego non tantum hunc diem, ſed totum etiam hunc annum, me, tua cauſa, patiar cujuſvis eſſe voluptatis expertem. ſcalas igitur conſcendamus, ac, ſemotis ceteris, ſoli, ſanctiori nos cubiculo committamus.

CEPAR. Sane quidem. nam loco mihi opus eſt, tuto, & ab arbitris remoto.

NICIUS.

Nicius. Quoniam tale cubiculum, quale tu maxime optabas, nos habet, dic, ſalvæ ne?

Cepar. Maxime.

Nicius. Quæ nam eſt cauſa adventus tui?

Cepar. Dicam. Heri me P. Generalis Rectorem Collegii Romani elegit.

Nicius. O bene factum! Deus illi bene faxit, qui tuam iſtam ſingularem prudentiam diutius in occulto latere non eſt paſſus. gaudeo, exulto, triumpho; & ſane nemo eſt, qui ſolidius tua gaudeat gaudia, quam ego.

Cepar. Hoc mihi certum eſt; ita tua eſt benignitas. ſed venio, ut ex te audiam, quibus artibus poſſim huic muneri ſatisfacere, quod eſt mihi commiſſum ac traditum.

Nicius. Quæcunque cauſa te huc attuliſſet, lætarer, cum apud me viderem hominem, mihi in primis carum atque jucundum. ſed tamen vere dicam, quævis mallem fuiſſet quam iſta, quam dicis. egone tibi audeam de re tanta conſilium dare, qui vix didici domi meæ negotia curare?

Cepar. At ego nihilo te minus ſum hac in re hoſpes ac rudis, cujus tota adhuc ætas eſt in literarum ſtudiis penè contrita. itaque veni ad te, cui maximam fidem rerum mearum habeo, ut, quidquid tibi Deus ſuggeſſerit, & frequens ſanctorum Patrum lectio ſuppeditaverit, in medium proferas. ac propterea dedi operam, ut ne quis alius adeſſet; quo liberius, quæ tibi venirent in mentem, exponeres. quid, quod fere ab ineunte ætate pollicitus es, te mihi, tanquam parenti atque magiſtro, dicto audientem fore, nihil ne ad fidem tuam putas pertinere? quamobrem, omiſſis excuſationibus, da te mihi; quæque, ut in conditionibus ſcribi ſolet, ſcis & potes, exprome.

Nicius. Quoniam video, in optima mea cauſa omnem mihi ereptam eſſe facultatem recuſandi, faciam ut jubes; ſed, moneo, ea tantum ex me audies, quæ patent, & in promtu ſunt omnibus; reconditiora ſi deſideras, petas ab iis, qui ſunt, in hoc genere, ſcientia uſuque majore; quorum magna tibi domi copia

adeſt. Ac primum, cui non veniat in mentem, ad remp. adeunti, eam virtutem eſſe in primis neceſſariam, quæ eſt, quaſi ſolum ac fundamentum ceterarum; videlicet humilitatem? Etenim ea nobis virtus neceſſaria eſt, ut cum maxime, tum cum ad honores evehimur; ad quos niſi humilem ac demiſſum animum afferamus, ad ſummum ſuperbiæ. hoc eſt, ad ſummum malorum omnium, deveniamus neceſſe eſt. quid enim tam poteſt animos cujuſquam extollere, quam intelligere, ſe eſſe præpoſitum aliis, &, conditionem communis juris, præſtantia dignitatis excedere?

Cepar. Tibi aſſentior. nam iſtuc, honore ac dignitate ceteris antecellere, incredibile dictu eſt quam multorum animos extulerit.

Nicius. Hæc igitur cogitatio, ab animis eorum qui præſunt, ejiciatur; eaque pertinaciter retineatur, quæ docet, communi conditione naturæ, omnes eſſe inter ſe pares. ita enim animi in officio continebuntur, neque inſolentius efferentur. Huc ſpectat ſapiens illud Eccleſiaſtici monitum; *Rectorem te poſuerunt? noli extolli: eſto in illis, quaſi unus ex ipſis.* cujus præcepto qui obtemperabunt, omnes mortales, quantumvis ſibi ſubjectos, uno ſecum æqualitatis jure comprehendent. qui vero non obſequentur, in eorum numerum rejicientur ab eo *qui dicit Regi, apoſtata*, quos deſertor Angelus in ruinæ ſocietatem ſuæ attraxit. quid enim illum in eam fraudem tam ſceleratam & tam impiam induxit, ut divinum principatum appeteret, niſi quod ferret indigne, ceteros ſecum Angelos, naturæ ejuſdem ratione, æquari atque conferri? *Aſcendam*, inquit, *ſuper altitudinem nubium. ſimilis ero Altiſſimo.* immo, quo facilius hæc æqualitatis cogitatio in animo retineatur, debet ille, qui præeſt, Pauli exemplo, in eam potius partem propendere, ut omnes ſibi præponat, ſe autem nemini. ita enim, ad Theſſalonicenſes ſcribens, *nec quærentes*, inquit, *ab hominibus gloriam, nec à vobis, nec ab aliis; cum poſſimus oneri eſſe, ut Chriſti Apoſtoli; ſed facti ſumus parvuli in medio veſtrum.* quibus verbis oſtendit, ideo ſe ceteris minorem effingere, ne ex eo honore cultuque, quem ſibi adhiberi cernebat, imperio delectari

vide-

videretur, ac proinde in exemplum ſuperbiæ ſpectaretur.

CEPAR. At rem attentius conſideranti, mirari continget, quid ſit, cur tot mortalium animi, in poteſtatibus, inſoleſcant, cum illi, ſi recte velint animadvertere, facile poſſint intelligere, non tam ſibi præbitam, quam prærepram eſſe, materiam elationis ac ſuperbiæ. nam, quid eſt imperare, niſi tot cervicibus ſuis dominos impoſitos habere, quot ſunt ii, in quibus dominatur atque imperat? Rex Antigonus fertur quam commodiſſime dixiſſe filio, acerbiora atque ſæviora in ſuos imperia exercenti; Amove iſtam à te ſuperbiam atque ſævitiam; mementoque, te tuorum, non tam eſſe dominum, quam ſervum. nam quid aliud eſt Regnum, niſi ſpecioſa quædam ſervitus atque honeſta? Sed perge.

NICIUS. Atqui ex iis, quæ antea diximus, quædam nobis ratio aperitur; qua nimirum is, qui aliis cum imperio ac poteſtate præficitur, noviſſimum locum apud eos tenere, ex Chriſti ſententia, poſſit; ſi videlicet, ſibi anteire unumquemque virtutibus, cogitet. quamobrem, qui ſedet aliorum magiſter ac dominus, duas ſibi cathedras conſtitutas habeat oportet; poteſtatis unam; humilitatis alteram; illam, in cœtu ſuorum poſitam, hanc in ſecretario, ut Gregorius inquit, mentis excitatam: in illa corpore, in hac animo, ſedeat; in illa, commodis ſubditorum conſulat; in hac, ſuæ ſaluti æternæ proſpiciat; in illa, aliorum libidines frangat, in hac ſuas cupiditates compeſcat; in illa, ſingulas ſingulis animas datas eſſe, quas tueatur, excogitet, in hac, tot ſe animis præditum eſſe arbitretur, quot ſunt ii, in quos imperium habet. at, ſi tam difficilis tamque periculoſa res eſt, de unica tantum anima rationem Deo, in extremo judicio, reddere; quam erit horribile, quam formidoloſum, tam votis omnibus deprecandum, unum pro pluribus, tanquam pro ſe ipſo, cauſam dicere, hoc eſt, nomen ſuum pro multis ad tranſlationem criminum accommodare! quod cum animo ſuo reputans autor libri Sapientiæ, *Horrendum eſt*, ait, *& cito apparebit vobis; quoniam judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet.*

CÆSAR. Quid eſt hoc, Nici? ubi ſunt, qui te ajunt, in Ciceronis ſcriptis, tantum eſſe verſatum, quique negant, te aliud quidquam præterea noſſe? quot dicta ex ſacris litteris attuliſti! quam eadem ſcienter, quam apte, atque ex ſanctorum Patrum ſententia, interpretatus es! ut illud, de duabus ſellis, lepide dictum eſt à te! ut congruenter rei, de qua loquimur, elatum! certe mihi nunquam veniſſet in mentem; & fortaſſe in eiſdem libris legi, unde tu mutuatus es, ſed vel non animadverti, vel, animadverſum & notatum, memoria non ſepivi. quamobrem perinde auribus meis accidit, ac ſi ea nunc primum illud accepiſſent. ſed reliqua perſequere. nam erectum, ad audiendum, animum affero.

NICIUS. Hæc demiſſio animi, de qua loquimur, quo magis in poteſtatibus retineatur, multum ſane refert, quo quis ad eas animo acceſſerit, utrum eas nobis deferentis voluntas ac ſtudium attulerit, an cupiditas noſtra ambitioque pepererit. nam, ſi quis, non rogatus, ſed precibus, muneribus, vel amici cujuſpiam potentioris gratia, ad honores obrepſit, quæ nam huic demiſſio animi, quæ nulla ab initio fuit, hæreat? quas in ejus animum, honorum contemtus, ad quos inflammato ſtudio rapitur, radices immittat? potius aletur in eo temeritas, firmabitur ſuperbia, corroborabitur audacia; inita cum principe tenebrarum, criminis ejuſdem ſocietas inſtaurabitur. nam, quid aliud, Lucifero, capitali datum eſt fraudi, niſi, quod non putaſſet, ſuæ dignitatis pulcritudiniſque rem eſſe, ob naturæ ejuſdem communionem cum ceteris Angelis fere uno eodemque æqualitatis jure comprehendi, ideo altiſſimam, Deoque proximam cæli partem expetiiſſet? *Aſcendam*, inquit, *ſuper altitudinem nubium; ſimilis ero Altiſſimo.* quamobrem, qui, demiſſis & obſcuris locis contemtis ſpretiſque, ad altiora & illuſtriora nititur evolare, hic dici poteſt eandem cum Lucifero ſuperbiæ temeritatiſque ſocietatem contraxiſſe. Ille igitur humilem ac demiſſum in poteſtatibus animum geret, qui, non ſponte ſed vocatus, non lubens ſed coactus & invitus, regendarum animarum partes compellitur ſumere. in quo tamen ea cautio adhibeatur, ut non adeo ſit ſui juris ſententiæque in recuſando, ut aliorum judi-

cium

cium negligere ac ſolus ſapere videatur, neque adeo pertinaciter, eum ſibi honorem deferentium ſtudiis, obſiſtat, ut eorum voluntatem contemnere, & aliorum profectibus invidere videatur. nam, ſi ita eſſet, in illud ſuperbiæ genus delaberetur, quod eo eſt vitioſius ac pernicioſius, quo magis occulte in animum penetrat, & in intimis ejus viſceribus ſe ſe diffundit. Etenim peſſimum illud veneni genus habetur, quod antea ad cor permeat, & totum corpus poſſidet, quam ut à nobis notari animadvertique potuerit. quis enim facili negotio eam ſuperbiam deprehendat, quæ, ſimulatione humilitatis, tanquam ovina pelle, contecta, deliteat? neque tamen non aliquando, acutiſſimorum hominum acies, intrinſecus hærentem hunc nobis morbum introſpicit. nam, quemadmodum Antiſtheni Cynico, tritum ac conſciſſum ſæpe pallium, gloriæ cauſa, attollenti, Socrates, inflatum & inanitatibus oppletum ejus animum, per eas ſciſſuras, ſe dixit aſpicere; ita etiam probi atque experientes interdum viri, per obſtinatam aliquorum, humilitatis ſpecie recuſantium, pertinaciam, tanquam per laceræ cujuſdam veſtis rimulas, exedentem intus eos clanculum ſuperbiam agnoſcunt. Neque tamen hæc mihi dicenti ſuſpicio incidit, quod ad ejuſmodi vitium aliqua ex parte adhæreſcas. norunt enim omnes modeſtiam, conſtantiam, & æquitatem, qua præſtas; norunt demiſſum atque alienum ab omnibus cupiditatibus animum tuum. ſed, cum volueris omnia, quæ mihi de toto hoc genere venirent in mentem, effundere, nihil erat cauſæ, cur hæc retinerem, neque una cum aliis efferrem.

Cepar. Quid de me alii cogitent, neſcio; illud mihi conſcius ſum; me non eſſe meritum, ut hæc mihi tam gravis provincia mandaretur. Sed perge ad reliqua. nam te ita libenter audio, ut, ne interrogandi quidem cauſa, auſim interpellare.

Nicius. Perſpicuum eſt, omnes, qui Chriſti militiæ nomen dedere, unum ſimul Eccleſiæ corpus conſtituere, & ſuum unicuique homini, tanquam peculiari hujus corporis membro, munus attribui. at iis, qui imperium in alios exercent, præcipuæ in hoc corpore par-

tes aſſignantur; videlicet, ut cujuſdam quaſi oris vice fungantur; cujus illud ſit munus, ut, precibus ac lacrimis, ruentem in ſuos divinæ iracundiæ vim reprimat. cujus faciei, hoc eſt, Reip. moderatorum, ea vis eſt, ut, ab eorum innocentia, Eccleſiæ univerſæ decor ac laus dependeat. nam, quemadmodum oris venuſtas ac lepor, reliqui fere corporis vitia tegit, ita etiam Rectorum virtus ac ſanctitas, minus commodos ſubditorum mores occultat, atque ab exiſtimantum arbitrio propemodum eripit. Summa denique huc redit, ut non communis, non uſitata, non mediocris, ſed ſingularis, ſed eximia, ſed ſumma, in pectoribus animarum, virtus requiratur, quæ nullis reprehenſorum aculeis pateat. nam, quum, omni mente, in ea præſertim cogitatione curaque verſetur, ut vitia aliorum corrigat, mores emendet, peccata reprehendat; quis eum ferat, ſi, quod in altero vitium accuſat, in eo ipſo deprehendatur? quis ſuſtineat, ſi vitæ rationem ab altero repoſcat, cum non poſſit ſuæ reddere? quis eum patiatur, ſi plagis aliorum curandis manum admoveat, cum ſua ſanare vulnera nequeat, ac non illi continuo dicat, *Medice, cura te ipſum?* atque hoc ille plus oneris habet, quam ceteri, quod non ſolum poſtulatur ab illo, ut ab iis ſe abſtineat vitiis atque peccatis, quæ nefario aliquo ſcelere continentur, ſed ab iis etiam, quæ vulgo leviora putantur.

CEPAR. Sunt iſta vera, Nici. O quam certa, ô quam ſevera lex innocentiæ definitur iis, qui mores aliorum emendandos corrigendoſque ſuſcipiunt! etenim, quantum humanæ vires ferunt, danda ab illis opera eſt, ne quod tenue in ipſorum vita, vel minimi cujuſquam errati, veſtigium appareat. ſed, quamvis fortaſſe ſevere, eſt tamen hæc in eos lex ſcripta æquiſſime. nam, cum leves etiam has culpas vindicare in aliis debeant, quo nam ore id aliis crimini dederint, quod ipſis jure objici poſſit? Sed age, cujus prudentiæ & quantæ putas eſſe, hæc, quæ leviora exiſtimantur mala, compeſcere?

NICIUS. Summæ accuratiſſimæque. ea enim, in iis corrigendis, adhibenda cautio eſt, quæ ſit difficillima. quod ita interdum leviores hæ culpæ ſint leviter puniendæ,

endæ, ut, ea lenitate, peccandi licentia non aperiatur; ita non nunquam diſſimulandæ, ut, ea diſſimulantia vitia non dilatentur ac creſcant. quod onus, magno illi Gregorio, viſum eſt adeo laborioſum & grave, ut, niſi divina ope ſublevetur, vix illud ferri tolerarique poſſe confirmet. Sit igitur Rector, quo tantum poſſit munus inſiſtere, ab omni non modo facinore, verum etiam ab omni minimi errati ſuſpicione remotiſſimus, atque illud identidem in memoria habeat, quod, niſi ſacrarum litterarum teſtimonium accederet, videri incredibile poſſit; nimirum, ſi qua in re ab religione officii declinarit, jam non illud vel errati vel culpæ vel noxæ vocabulis affici, ſed impietatis nomine ſignari à Deo, à quo res omnis ſuo nominis pondere penditur. ille enim, ut Iob tradidit, *vocat duces impios*; vitioſos ſcilicet duces ac magiſtros; propterea quod, quæ vitia concipiunt ipſi, in alios infundunt, pluſque exemplo quam peccato nocent. Sed quid eſt, Cepari, quod te commotum video?

CEPAR. Scilicet, huc veni, ut cohortatione tua non ſublevarer ſed opprimerer, non excitarer ſed deterrerer, non animos ſumerem ſed abjicerem? nam, ſi ob levem, neſcio quam, noxam ſceleratus à Deo atque impius audiam, quid tot meis maximis criminibus fiat? quibus illa nominibus appellabuntur? qua pœna ſupplicioque conſtringentur?

NICIUS. Sic tecum agam, Cepari, ut, quoniam in hujus oram diſputationis regionemque me invitum vela dare juſſiſti, ea audias, quæ te minime delectent. ſed pergis exiſtimare, quæ à me dicantur, ea de te dici? utinam omnes, qui ad Remp. accedunt, cum his moribus accederent, quibus te præditum video; nihil profecto eſſet opus hoc ſermone. ſed, cum in univerſum de omnibus iis vitiis diſputo, quibus rectores animarum minime eſſe decet obnoxios, neceſſariò in ea incurro, quæ longe à moribus tuis abhorrent, vel ea complector, quæ nullo in te modo conveniunt. ſicut nec illud ad te pertinet, quod mox de conviviis dicturus ſum; quandoquidem eadem, qua ii qui tibi ſubjecti ſunt, menſa utaris oportet, quæ ſemper eſt moderata, atque ipſius exemplum frugalitatis; niſi ſi quando principi cuidam viro danda

ſit cœna vel prandium, vel, diebus feſtis, paulo liberalius genio ſit indulgendum; quibus temporibus, ad ſervandam mediocritatem, quam vir eccleſiaſticus ſequi in omnibus rebus debet, non erunt aliena, quæ mox tibi ſubjiciam; magis id adeo, quo ſingula optimi Rectoris officia perſequar, quam ut te ejuſmodi præceptis, quibus nihil eges, adornem. Videamus igitur, qualem eſſe placeat Rectoris menſam atque convivium. non aliud, opinor, niſi moderatum ac breve, ac ſacrorum librorum lectione conditum, denique quale à Iobo viro ſanctiſſimo deſcribitur, videlicet in quo *clamor exactoris non auditur*. non potuit, mea quidem ſententia, neque paucioribus neque aptioribus verbis, ſobrii ac modeſti convivii parſimonia, penè ante oculos ſtatui; nam, ut Orchias, Fannias, Didias, omneſque alias ſumturias leges perquiras, inveſtiges, ſcruteris; nuſquam in eis prandia vel cœnas, rationi ac bonis moribus congruentes, elegantius deſcriptas invenies.

CESPAR. At vide, quam hæc mihi deſcriptio elegans videatur, ut ne verbum quidem unum intelligam. nam, quis eſt hic, obſecro, *exactor*? quid ſibi vult, hic *clamor* ejuſdem? non intelligo; tu, qui noſti, explana.

NICIUS. Vtrum in hoc aſſeveratur an tentatur? ſed fortaſſe ſimulas, te neſcire, quod eſt longe tibi notius quam mihi, quò de his rebus diſſerenti, vel potius balbutienti, mihi animum addas. ſed faciam ut jubes; ac, Gregorii interpretatione, ex omnibus obſcuritatis integumentis locum illum evolvam, qui *exactorem*, de quo Iobus loquitur, naturam eſſe dicit humanam, quæ debitum à nobis corpori huic mortali, quod gerimus, nutrimentum ſuo jure depoſcit; quæ natura interdum loquitur, interdum clamores extollit; ac tum loquitur, cum tantum, quantum ſit corpori alendo ſatis, efflagitat; clamat vero, cum, præter neceſſitatem naturæ, immodicis ventrem epulis farcire gulæ intemperantia requirit. ac non minus multis modis appetitus noſter, in exigendo quæ ſint ad vitæ uſum neceſſaria, juſti & honeſti fines excedit, quam exactor, in repetendo quod ſibi debetur. hic enim tum peccat, cum alio die vel loco petit,
quam

quam quo dari debuit, vel meliora ac præſtantiora iis ſpectat quæ ſibi debentur, vel alio pacto ſibi dari vult aliquid quam lege ſancitur; quo iniquitatis genere laborabant filii Heli Sacerdotis, qui crudas carnes pro coctis, ex ſacrificantium manibus extorquebant; vel cum juſto plus exigit, vel cum nimis avariter & immiſericorditer exigit. ita etiam venter ac guttur, tanquam flagitator moleſtus, ab jure, ab æquitate ac moribus abit, vel cum, ut Bernardus ait, cogitat de cibo potuque ubi non debet & quando non debet, hoc eſt, famem & ſitim non opperitur, ſed eas luxu ante capit; vel cum ſe curari vult nitidiuſcule, vel iis condita condimentis obſonia ſibi apponi, quæ, ut gurges ille inquit, milvinam menſam aggerant, vel cum, ex Gregorio, menſuram juſtæ refectionis excedit, hoc eſt, obruit ſe cibo potuque; poſtremo, cum, veſcendi libidine, immanibus pretiis vilia emit edulia; ut Eſau, qui, fame ſtimulante, lentis pulmentum, primogeniti honore locoque, permutavit.

CEPAR. Iam, tua demonſtratione, notus eſt iſte mihi *exactor*. utinam, eo ſemper æquo ac modeſto, nunquam autem iniquo moleſtoque, utamur.

NICIUS. Omnino, convivia iſta, ubi juſtæ refectionis menſuræ pluſculum ſemper adjicitur, carere culpa vix poſſunt. Quid eſt, quod Iobus, diebus conviviorum exactis, quæ ejus in orbem liberi ſibi invicem dabant, *conſurgens diluculo, offerebat holocauſta pro ſingulis*, niſi quia vir longe prudens intelligebat, convivia iſta, quantumvis honeſta, quantumvis fratres inter atque ſorores celebrata, vix tanta poſſe animi moderatione agitari, quin aliquis ad ea error obrepat? At nihil eſt tam cavendum, quam, ne immodica iſta convivia à Superioribus, quos frugaliſſimos eſſe oportet, exerceantur. etenim, non ſolum inde culpæ ac dedecoris multum ſibi pepererint, verum etiam damni in eos plurimum attrahent, qui non tam ipſorum imperio, quam exemplo, reguntur. permulti enim imitatores eorum exiſtent. nam, quo tempore filii Iob, domus ubi cœnabant ruina oppreſſi, interiiſſe narrantur, niſi cum, apud fratrem natu majorem, vino atque epulis operam dabant? Qua in re

nihil aliud nos Deus voluit eſſe admonitos, niſi, non procul à noſtro capite ruinam abeſſe, cum ad ſuperiorum exemplum, apud menſam plenam, oneramus nos eſca atque potione.

CEPAR. At iſtuc non eſt metuendum à me. nam tute ſcis, quo die ſeptem præcipuas Vrbis eccleſias aditis, atque omnes de ſymbolis eſtis, quemadmodum parce nimium ac tenuiter convivium exornem; unde non ſolum ſupervacaneos iſtos ſumtus removeri vides, verum etiam propemodum, quæ ſint ad reparandas vires neceſſaria, propelli.

NICIUS. At cave iſtuc, mi Cepari, in poteſtatibus committas. nam ſuperiori, in conviviis, peræque ſunt fugiendi ſumtus, ac ſordes. quemadmodum enim poſtulatur, ut ne quid in ejus menſa redundet; ita etiam, ne quid deſideretur, expoſcitur. ab immoderatis ille epulis avocatur, à permiſſis non excluditur. ſumptuoſæ illi cœnæ, ac præter modeſtiæ leges, eripiuntur; honeſtæ conviviorum delectationes, jejuniis præſertim ac laboribus feſſo, relinquuntur. at, incidunt ſæpe tempora, cum corpus mollius ac liberalius tractari deſiderat. quod cum conceditur, non id moleſtis *exactoris clamoribus*, ſed juſtis ejuſdem poſtulatis, tribuitur. ejuſque rei aliquot, in ſacris litteris, exempla occurrunt, maxima atque graviſſima. non ne Elias, ſolis in locis atque deſertis, carnes edendo, divini, ſuum in animum, ſpiritus illabi vim ſenſit, contra infelici Adæ, in locis voluptuoſis atque amœnis, ingenitam una cum ipſo innocentiam, viliſſimi cujuſdam pomi guſtus ademit?

CEPAR. Quoniam ad ſuperioris menſam, tuis ſumtibus, hoc eſt, tua eruditione, ſatis lauti accubuimus, cenſeo ſurgamus, atque ad alias animi remiſſiones ludoſque veniamus. Quatenus, in relaxandis animis fas eſſe putas progredi Rectoris hilaritatem?

NICIUS. Quod ad hilaritatem attinet, minime eos probo, qui putant, eſſe utile Rectori, cum ſuis ludere, ridere, jocari, atque ad omnem animi remiſſionem voluptatemque deſcendere; cui, in omni actione, ſumma ſemper gravitas, ſumma modeſtia, ſumma prudentia debet eſſe adjuncta. neque, cum effuſos illi riſus

adimo,

adimo, triſtem & obductam nubibus frontem affigno; ſed ita hilaritatem in eo cum ſeveritate admiſtam eſſe volo, ut neque gravitas hilaritatem abigat, neque hilaritas quidquam de gravitate decerpat; denique, ita eum cupio in utroque ſe gerere, ut idem in hilaritate metuatur, & in ſeveritate ametur. etenim, perpetuæ hilaritati finitimus eſt contemtus; ac nimiæ ſeveritati, odii extremitas additur omnino. ut ſæpius repetam, ea in Rectore ſeveritas laudatur in quam hilaritas influit, ea hilaritas probatur quæ ſeveritate conditur. ſed, tum plane aſſequetur ut in riſu metuatur, ſi ſemper conjectos in Chriſtum oculos habeat. neque enim eſt verendum, ne ille riſus in ludibrium exeat, qui ab animo, in Chriſti meditatione defixo, progreditur. quæ meditatio, perpetuo hominem metu, ac ſancto quodam mœrore, complectitur; quamvis interdum oculi ridere videantur.

CEPAR. Nihil eſt opus, ut me tam multis, compeſcendæ hilaritatis cauſa, præceptis ac monitis oneres; nimis in contrariam partem dependeo. rectius feceris, ſi, quemadmodum me in ſeveritate geram, oſtenderis. cedo, ecquando me intemperanter in riſum & jocum effuſum aſpexiſti? non nunc primum, ab immodico riſu, temperare diſco; jam inde à puero, huic me levitati ſurripui. nam, quum die quodam à ſchola, ut fit, ludens ac ridens me domum recepiſſem, virgo, Deo ſacra, quæ forte ibi aderat, ſic petulantiam meam corripuit: Siccine rides & ſaltas? nonne tibi venit in mentem, jam jam eſſe moriendum? quibus ego vocibus adeo ſum perterritus, ut nemo, poſterius, me pueriliter exultantem ac ludentem aſpexerit, ac *riſum reputavi errorem, & gaudio dixi, quid fruſtra deciperis?*

NICIUS. Non nunc primum aures meæ accipiunt, te eſſe pronum ad ſeveritatem; ſæpius ex te audivi, atque ipſemet affui, cum tu unus contra ſodales omnes noſtræ Sodalitatis, tanquam ſi C. Orchius, Tribunus plebis, aut Fannius, aut Didius aliquis eſſes, legem ferres, de ſumtibus convivii, quod, paucis diebus poſt, celebrandum à nobis erat in villa Collegii Romani. Deus immortalis, quæ fuit illa, quanta vis?

ta vis? ardebant oculi; toto ex ore ſeveritas emicabat; neque quidquam eo die tam metui, quam, ne, ob tuam acerbitatem, coetus ille honeſtiſſimus diſſolveretur. quod ſi tragœdias agis in nugis, quid te facturum exiſtimamus, ſi res aliqua digna animadverſione contigerit? atque equidem de te polliceri omnia poſſum, præter id unum, ne quid videlicet, in hoc tuo imperio ac poteſtate, per iracundiam admittas. ſed mihi ignoſcas velim, ſi, cum me loqui voluiſti, aliquid de tuis vitiis audias.

CEPAR. Immo pergratum mihi facis; & nunc, vere te mihi eſſe amicum, oſtendis. atque utinam hic hodie, non modo hoc, verum etiam alia mea multa vitia, ponam. ſed perge, de ſeveritate, quæ tibi ſubveniunt, dicere.

NICIUS. Quemadmodum oris gravitas, oculorum hilaritate, mitiganda eſt, ita etiam ſeveritatis acrimonia, lenitate, temperanda. ita enim autoritas, cum eſt opus, objurgationes ſuſcipiat, ita pœnas delictis irroget, ut à miſericordia non recedat; cujus lenitate, mitigata, objurgationum pœnarumque amarities celerius & utilius ejus ad animum, cui tanquam pharmacum aliquod adhibebitur, influet. communia atque vulgaria ſunt iſta, quæ ſubjiciam, tritis præſertim auribus tuis, qui ea ſæpius in concionibus agitaſti; ſed quia plurimum ad rem faciunt, non ſunt prætermittenda. Hoc curationis genus Samaritanus ille Evangelicus nos in primis edocuit, qui ſaucii illius vulneribus, quem in via jacentem offenderat, oleum ac vinum infudit; quorum in uno lenitas, in altero aſperitas ineſt. iſtuc idem, duo illa, una cum tabulis legis in arca concluſa, Virga ſcilicet & Manna, ſpectaſſe videntur, ut nimirum deſertores legis, ita virga, hoc eſt pœna, puniantur, ut à manna, videlicet à miſericordia, non recedatur. iſtuc idem David in ſe ipſo ſe fuiſſe expertum, tradit, cum, pro ſuis ſceleribus ac flagitiis, à Deo plecteretur. *Virga*, inquit, *tua*, *& baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.* hoc eſt, Virga corripuit, meque ad humum impulit; at baculus, ne ruerem, ſuſtentavit ac rexit. non poteſt hic locus, neque illuſtrius neque elegantius,

à quo-

à quoquam exponi, quam eſt à Gregorio Magno tractatus. cujus verba, quia memini (nam heri commodum legi) referam. *Virga*, inquit ille, *percutimur; & baculo ſuſtentamur. ſi ergo eſt diſtrictio virga qua feriat, ſit etiam conſolatio baculi, qua ſuſtentet. ſit itaque amor ſed non emolliens, ſit rigor ſed non exaſperans, ſit zelus ſed non immoderate ſæviens, ſit pietas ſed non, pluſquam expediat, parcens.* Hæc Gregorius. ſed, ſi nos magis exempla delectant, non eſt abeundum à Moyſe; cujus illud facinus plane egregium commemoratur, quod in populum illum ſceleratum atque impium, à Deo ſibi commiſſum ac traditum, edidit. qui populus nefarium illud ſcelus admiſerat, quo nullum fere ſol tetrius aſpexerat, ut vitulo, ex auro à ſe conflato, divinum principatum honoremque tribueret. cogitaverat enim Deus, gentem illam, tam perfidam, tam ingratam, tam improbam, quæ tantum nefas in ſe conceperat, funditus è terra delere, ejuſque rei poteſtatem ſibi fieri à Moyſe, poſtulabat, his verbis, *Dimitte me, ut iraſcatur furor meus contra eos; faciamque te in gentem magnam.* non paſſus eſt Moyſes, Deum id, quod habebat in mente, ad rem conferre, ſed ſupplicibus illis ac demiſſis verbis, *Dimitte*, inquit, *eis hanc noxam, aut, ſi non facis, dele me, de libro tuo, quem ſcripſiſti.* itaque exoratum illum coegit, iram in miſericordiam vertere, & paratam à populi ſui capite peſtem avertere. ſed, num quid, ab hac animi lenitate correptus, diſſolutior fuit, in prætermittendo? num tam inſignem contumeliam, ab ingratiſſimis hominibus Deo optime de ipſis merito illatam, paſſus eſt inultam abire? nihil minus, ſed concione advocata ejuſcemodi orationem habuit. *Ponat vir gladium ſuum ſuper femur ſuum; ite & redite de porta uſque ad portam; & occidat unuſquiſque fratrem & amicum & proximum ſuum.* his illi imperatis acceptis, ad viginti fere hominum millia, eo die, internecioni dedere. qua in re, duo præſertim in Moyſe, laude & imitatione digna, ſe offerunt: primum, ejus in multitudinem illam amor & ſtudium; tum, animadvertendi in improbos modus & ratio. qua nam enim caritatis vi complexum fuiſſe Moyſen populum illum exiſtimamus, pro cujus ſalute,

vita ipſa devolvi, honeſtum ſibi, & jucundum arbitrabatur? deinde, quo ſeveritatis igne ſuccenſum eundem fuiſſe credendum eſt, qui publice admiſſum ſcelus, tot hominum millium cæde vindicandum eſſe ſtatuerit? qua in re ſuam in eos, in quos tam acriter ſævire videbatur, miſericordiam magis oſtendit, quam ſi, tantam ſceleris atrocitatem, liberam impunitamque dimiſiſſet. ſatius enim duxit, ad ſe judicem eos venire, quos, gravi licet pœna, attamen ad exiguum tempus duratura, puniebat, quam ſi illi in Dei æſtimantis arbitrium recidiſſent, qui peccata hominum, non exiguis quibuſdam pœnis, ſed ſummis acerbiſſimiſque perſequitur; qui non unius diei vel horæ ſuppliciis, ſed æternis ignibus tormentiſque, conſtringit. neque id Deum effugit, cum populum illum, ſempiternæ mortis reum, Moyſis manſuetudini condonabat. norat enim, quid ille, ſuper ea re, conſilii capturus eſſet. quod futurum erat ejuſmodi, ut, eadem opera, & divinas injurias, magna cum æquitatis gloria, perſequeretur, & æternæ populi ejuſdem ſaluti proſpiceret.

CEPAR. Legi equidem, ac ſæpe ſum admiratus, hominis, cum prudentiam, tum manſuetudinem ac lenitatem.

NICIUS. Ego vero etiam, Cepari. ſed tum Rector idoneus ad tantum munus præſtandum habebitur, cum domitas ac coercitas animi libidines ſui habebit; hoc eſt, ſi in condonandis vel animadvertendis aliorum peccatis, neque amicitia neque aliqua alia animi perturbatione impulſus, permoveatur. atqui hanc cupiditatum cohibitionem, quæ in eo requiritur, cujus prudentia ac moderatione Reſp. temperatur ac regitur, in Proteo, cui vetus Theologia divinandi artem aſſignavit, oſtenditur. ille enim, ut eſt in fabulis, non antea malorum cauſas & remedia, ad ſe venientibus, explicabat, quam manibus captus, atque arcte vinculis alligatus, teneretur; quæ vincula tanto arctius adſtringenda erant, quanto ille malitioſius, ex iis variis formarum generibus, in quæ vertebatur, ſe conaretur eximere. his monitis, à Cyrene matre, Ariſtæus, apium exſtinctarum dolore confectus, fuiſſe in-

ſtructus

ſtructus traditur, quæ Virgilius elegantiſſime eſt proſequutus, his verſibus:

Ipſa ego te, medios cum ſol accenderit æſtus,
Cum ſitiunt herbæ, & pecori jam gratior umbra eſt,
In ſecreta ſenis ducam, quo, feſſus ab undis,
Se recipit; facile ut ſomno aggrediare jacentem.
Verum ubi correptum manibus vincliſque tenetis,
Tum variæ illudent ſpecies, atque ora ferarum;
Fiet enim ſubito ſus horridus, atraque tigris,
Squamoſuſque draco, & fulva cervice leæna;
Aut acrem flammæ ſonitum dabit, atque ita vinclis
Excidet, aut in aquas tenues dilapſus abibit:
Sed quanto ille magis formas ſe vertet in omnes,
Tanto, nate, magis contende tenacia vincla;
Donec talis erit, mutato corpore, qualem
Videris, incepto tegeret cum lumina ſomno.

Cujus figmenti, ea eſſe traditur ratio, ut, niſi quatuor illa vitia, videlicet libido, ſtultitia, ferocitas, dolus, in quæ viciſſim homo, rationis particeps, ſeſe transformat, cohibeantur, conſtringanturque, prudentia, quam divinitati proximam eſſe ajebant, ſuum munus præſtare non poſſit. quibus vitiis carere Sacerdotes in primis, eoſque quibus animarum cura incumbit, oportet. etenim, iſti ſoli interpretes divinæ voluntatis habentur: quemadmodum Proteus, veteris ſuperſtitionis ſacerdos, neque vaticinari neque ſuſcipere divinitatem poſſe putabatur, niſi arcte religata in eo fuiſſent, primum ignis, id eſt cupiditas, tum, feritas, hoc eſt morum aſperitas, poſtremo aqua, videlicet animi lapſus atque mobilitas. neque illud prætereundum eſt, quod non antea idem, oraculis edendis, idoneus exſtiterat, quam omnes illas imagines, ad unam, exuiſſet. nam, una tantum hærente, non erat fas, ab eo verum exſculpere. eadem ratione, ſi rectoris prudentia, ſtrenuam atque utilem Reip. navare operam poſtulet, neceſſe eſt, ut cujuſvis vitii ſit expers & vacua. quod ſi uni dumtaxat vitio ſit obnoxia, non plus ea proderit, quam fame ſitique confecto, cibus pedibus conculcatus & attritus, atque aqua, cœno lutoque corrupta. hinc illa Dei, de paſtoribus animarum, acris ac vehemens

mens incuſatio & querela, *Oves meæ his, quæ conculcata pedibus veſtris fuerant, paſcebantur; &, quæ pedes veſtri turbaverant, hæc bibebant.* neque, quod ad interpretationem horum verborum attinet, quidquam ex meo ſenſu depromtum afferam, ſed, ex Gregorii interpretatione acceptum, huc transferam; qui tum dicit oves, conculcata ac turbata pedibus, edere ac bibere, cum ſubjecti ea ad exemplum vivendi appetunt, quæ prælati, perverſo opere, pervertunt.

CEPAR. Magna profecto veritatis vis eſt, quæ veteribus illis, quamvis veræ religionis expertibus, ultro ſe inferebat, atque ab eiſdem obſcuris fabularum integumentis obducebatur. quam lepide, quam docte, quam eleganter, venuſtiſſima illo, de Proteo & Ariſtæo commento, concluſum eſt, Sacerdotum ordinem vitio carere debere? at reliqua, niſi moleſtus ſum, ut facis, rite proſequere.

NICIUS. Hactenus, de virtute humilitatis, innocentiæ, frugalitatis, diximus; quarum virtutum laudibus, qui ad regendos alios accedit, eſſe præditus debet. diximus etiam, quatenus eundem, adverſus eos qui deliquerint, manſuetudine vel ſeveritate, æquum ſit progredi. reliquum eſt, ut de prudentia, humanitate, conſilio, quæ in eo requiruntur, pauca quædam breviter ac ſtrictim dicenda eſſe videantur. quibus virtutibus quantum ſit neceſſe Rectores animarum, iis, quibus imperant, anteire, vis nominis, quo utrique à Deo appellantur, mire demonſtrat. illis enim paſtorum, iſtis vero ovium nomen eſt inditum. quod ſi, ex vocabulo quod habet, quæ nam ſit cujuſque rei vis & natura, colligitur; profecto, ex hac paſtoris oviumque appellatione, illud videtur confici, atque eſſe conſequens, ita eos, qui imperant, oportere ceteris, rationis uſu, antecedere, ut, cum illis collati, hominum inſtar habere, inter pecudes, quodammodo videantur. nam paſtoris appellatio ſolis convenit hominibus; at ovium ratio pecudibus tantum eſt apta. neque vero cuiquam abſurdum vel incredibile videri debet, mortalium genus, ex priſtino honore dejectum, in pecudum vilitatem decidiſſe; ſi meminerit, ex vitiorum, quibus il-

lud ſe induit, qualitate, in varias pecudum naturas degeneraſſe. etenim, ab initio humani generis, non eæ hominibus partes traditæ fuiſſe leguntur, ut in ſui ſimilibus dominarentur, ſed ſolum permiſſum atque conceſſum, ut darent operam liberis, & in feris beſtiis imperium exercerent, eaſque, formidine ac terrore, ſibi obnoxias facerent. *Creſcite*, Deus ait, *& multiplicamini, & replete terram; & terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ.* Sed tum dati ſunt hominibus reges, cum ipſi, abjecto rationis imperio, ferarum in ſe immanitatem tranſtulerunt; videlicet, cum, aliorum bonis manus afferendo, imitati ſunt luporum aviditatem; cum, injurias aliis inferendo, induerunt leonum ſævitiam; cum, ſe libidinibus tradendo, teterrimam cœni ſpurcitiem, una cum ſuibus, adamarunt. jure igitur reges, in ejuſmodi hominum genus, tanquam in feras beſtias, vim ſuam ac poteſtatem exercent. non enim dandum eſt illis vitio ſed laudi, quod ſint improbis terrori atque formidini. namque eo utuntur jure, quod eſt illis tributum à Deo, cum dixit, *Terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ.* quamobrem, ſi quem piget eſſe in metu, à brutis, ad quæ, mores eorum imitando, pertranſiit, ſe revocet, atque, ea quæ ſunt boni viri gerendo, ad homines rurſus recipiat. iſtuc videtur intellexiſſe Apoſtolus, cum magiſtratuum legumque metum, ab improborum animis, illis verbis, conarètur abigere: *Vis non timere poteſtatem? bonum fac.* nam, quod re vera erat, facinorum perpetratio conſtrictos illorum animos, eo metu, tenebat. tolle è mundo peccandi licentiam; ſimul omnem, non modo legum pœnarumque formidinem, verum etiam totum ſuperiorum inferiorumque diſcrimen ſuſtuleris, atque ſummis infimos pares effeceris. nam quid in ea Repub. opus eſt regibus ac magiſtratibus, ubi cives, non malo coacti, ſed ſua ſponte, recte facere didicerunt? horum ſimiles ſi quis ſanctus Rector nactus ſit, non eos in inferiorum, ſed in æqualium numero habeat, doleatque, ullum ab ipſis ſibi honorem cultumque præſtari. etenim, cum nihil in eis vitii animadvertat, quod ex edito dignitatis loco inſecte-

ſectetur, in æquum communis naturæ, qua pares omnes naſcimur, ſe deveniſſe cognoſcat, neque ſe illis anteferri permittat. quod feciſſe traditur Petrus Apoſtolus, qui Cornelium centurionem, religionis ſtudio flagrantem, ipſique ad pedes accidentem, communis conditionis memor, exegit, ac, *Surge*, inquit, *& ego ipſe homo ſum.*

CEPAR. Quantum ex te audio, in magnam ſpem venio, immo pro certo exiſtimo, non fore mihi hoc onus, quod ſuſcepi, moleſtum ac grave. iis enim præpoſitus ſum, qui certant inter ſe virtutibus, quorum nemo eſt, qui ſe ab altero, animi demiſſione, modeſtia, & aliis bonis artibus, ſuperari permittat. itaque non ſubditorum ſed æqualium numero eos mihi eſſe habendos intelligo. illud potius pertimeſco, ne ego miſer, qui principatum tenere inter eos debeo, rationis, conſilii, prudentiæ, in una quaque earum rerum, ſingulis eorum inveniar longo intervallo inferior, ac propterea dignus ſim, qui inter oves potius, rationis expertes, quam inter paſtores, rationis ejuſdem compotes, enumerer. neque novum eſt, me, indignum quovis honore, digniſſimis præfici. nam, omnibus fere ſeculis, non parum ſæpe evenit, ut doctis, prudentibus, &, quod rem continet, optimis ac ſanctiſſimis moribus præditis viris, prætermiſſis; ſtultis, indoctis, improbis moderandæ Reip. tanquam habenæ traderentur: quæ res pleriſque tum admirandi tum querendi cauſam dedit, cur id Deus videret ac pateretur.

NICIUS. At iſtorum interrogationi, quoniam prope juſtam & gravem dubitandi rationem habere videbatur, non eſt dedignatus Deus, ſua reſponſione, ſatisfacere, qui hominum improbitate nequitiaque fieri ait, ut, bonis prætermiſſis, improbi ad honores evehantur. hæc fuit cauſa, cur ingratiſſimæ Judæorum nationi Reges, omnis fere ætatis ac memoriæ improbiſſimos, evenire permiſerit. nam maximis atque graviſſimis ejus populi peccatis vehementer infenſus, *Dabo tibi*, per Oſeam inquit, *regem in furore meo*; videlicet, per reges flagitioſos & impios, repetam à te tuorum ſcelerum pœnas. nam, dici non poteſt, quantum ad conciliandam

Dei gratiam, eundemque ab iracundia ad miſericordiam revocandum, valeat optimi regis virtus ac præſtantia. neque idcirco, improbi cives, ſupplicioque digni, è Dei manibus ſe eſſe elapſos, exiſtiment, quod interdum probos reges nacti ſint, hoc eſt, eos, qui ab initio ſe bonis artibus deditos eſſe oſtendunt. cujuſmodi Saul fuiſſe traditur, qui, bonis initiis, malos exitus habuit. etenim Deus, quo peccatis hominum iraſci vehementius poſſit, patitur interdum, reges ab jure officioque diſcedere, ut non aliud hujus diſceſſionis cauſam, niſi ſubditorum peccata ſuſtineant; quoniam, ut eſt apud Gregorium, pro qualitate ſubditorum diſponuntur acta regentium, ut ſæpe, pro malo gregis, etiam vere boni delinquat vita paſtoris. Multa populus Iſrael ſtulte atque improbe fecerat, contra jus faſque; in quæ cum vellet Deus animadvertere, nec quodammodo poſſet, Davidis ſanctitate innocentiaque repreſſus, quid egit? permiſit, illum in eam fraudem incidere; nimirum, ut, cenſu populi habito, multitudine ſubditorum elatus, intumeſceret. quare, peſtilentia immiſſa, magnam ejus populi partem ſuſtulit. in quo ultus eſt etiam Davidem, qui, ob eam animi elationem, ſe magno ſcelere contaminaverat. Omnino, quod ad mores attinet, ita ſuperiorum inferiorumque rationes colligatæ ſunt inter ſe ſe atque connexæ, ut alteri alteris noceant. nam, & vitia rectorum transfunduntur in eos quos regunt, & iſtorum peccata, Deo ita permittente, in Rectores, morum mutationem inducunt, adeo ut improbi ex bonis evadant. Atque hæc dicta ſint à me, ut quæſtioni exortæ reſpondeam, non autem quod putem, poſſe illis eſſe locum in te, aut in ea familia, quæ tuæ fidei prudentiæque mandatur. ea enim, ut modo dictum eſt à te, ex eo genere hominum conſtat, quorum unuſquiſque dignus eſt magis qui alios regat, quam ut ab aliis regatur. tua autem virtus altioribus nixa eſt radicibus, quam ut à quoquam convelli aut labefactari poſſe videatur. quamobrem, quod reliquum eſt, breviter explicemus. reſtat autem, ut de adminiſtratione rerum, quæ ſunt ad vitæ uſum neceſſariæ, pauca dicamus. in qua provincia obeunda, haud facile dictu eſt, quam multis, rectorum vita, dæmonum telis expoſita pateat.

verendum eſt enim, ſi in ſuo jure perſequendo, ſi in exigendo, acerbiores ſint, ſi ad rem familiarem augendam amplificandamque attentiores ſe præbeant, ne avidi, avari, atque appetentis animi opinionem contrahant; ex adverſo, ſi ejuſmodi in rebus, æquos, faciles, modicoſque ſe gerant, indiligentis, maleque rem gerentis hominis rumorem colligant. interdum accidit, ut, dum attentius de aliorum commodis cogitant, remiſſius animarum ſuarum cuſtodiam agant, vel, dum animarum ſuarum ſatagunt, minus ſint aliorum in rebus cura & cogitatione intenti. ſæpe etiam fit, ut, dum acutius futura proſpiciunt, quæ ſunt ante pedes non videant. accidit etiam, ut, dum animus occupatus eſt in excogitando quæ ſint aliis utilia, ſomnum ab oculis abigant, &, quieſcentibus membris, variis illi curarum fluctibus æſtuent. incidunt ſæpe tempora, in quibus ſilentio opus ſit, ſimulque muneris, quod geritur, ratio ſermonem efflagitet. ergo inter ſacrum ſaxumque, ut dicitur, poſiti, quid agant? quo ſe vertant? quid conſilii capiant? taceant ne, an loquantur? ſi taceant, munus ſuſceptum non explebunt; ſi loquentur, vel damnum incurrent vel commodum aliquod deſerent; quorum alterum effugiſſent, alterum facile eſſent adepti, ſi induxiſſent animum tacere. quam etiam non raro contingit, ut, de re aliqua deliberaturi, conſilium cogitationum ſuarum advocent, atque, vel in varias ſententias diſtracti, quid potiſſimum agant, dubitent, vel, cum aliquem conſilii exitum repererint, diem ducendo, rebus, præſentariam operam poſcentibus, moram & impedimentum objiciant! Verum hæc tam multa, tamque diverſa nequiſſimi hoſtis tela, nullo fere negotio, animarum rector effugiet, ſi, divina ope fretus, contra eorum impetum, humilem animum ac demiſſum attulerit; videlicet, ſi, ut antea diximus, ab honorum culmine, in æquatam communis conditionis, tanquam agri, planiciem, deſcenderit, ibique ſtrenue, cum callidiſſimo hoſte, ſigna contulerit. longe alia pugnandi ratio eſt, contra ſpiritualia arma nequitiæ, ac cum iis hoſtibus, qui ſub aſpectum cadunt. nam, adverſus iſtos, ex edito excelſoque loco, acrius tutiuſque pugnatur; illis autem, qui ſub cernendi ſenſum non cadunt, ex humili depreſſoque loco,
major

major formido ac terror incutitur. animi quippe elatiſſimi ſuperbiſſimique, loca alta atque magnifica appetunt, adeunt, invadunt, expugnant; humilia, dejecta, profunda, refugiunt, exhorrent, neque ad illa audent accedere. Sed, ut ad ſermonem inſtitutum revertamur, tum profecto ſapiens Rector iis ſe difficultatum vinculis, de quibus diximus, exuet, cum ex ſuperbiæ laqueis caput exemerit, ſeque totum humilitati percipiendum, poſſidendum, vinciendumque tradiderit; ſi nimirum, in poteſtate, quam gerit, non ad locum editum excelſumque quem tenet, ſed ad æquabilitatem communis conditionis, animum adverterit, nec præeſſe gaudebit hominibus, ſed prodeſſe; tum facile eidem omnia, quæ ſint in rem eorum, quibus præeſt, ſuppeditabuntur. & quoniam paulo ante de litibus injecta mentio eſt, non erit alienum ab hoc loco, ſubjicere, quemadmodum ſe ſacræ religioſæque familiæ adminiſtratorem, in iis tum ſuſcipiendis tum deponendis, præſtare ſit æquum; in quo nihil eum, arbitror, à ratione vel ab officio diſceſſurum, ſi, quemadmodum Moyſes, de re dubia, ad ethnicum retulit, quodque ille ſibi ſuaſerat, fecit, ita etiam, quæ ſit Ciceronis de tota hac re ſententia, perceperit, ac memoria cuſtodierit; qui libro Officiorum ſecundo, ex Panætii doctrina, quem ſequitur, ſic præcipit. *Conveniet autem, cum in dando munificum eſſe, tum, in exigendo, non acerbum, in omnique re contrahenda, emundo, vendundo, conducendo, locando, vicinitatibus & confiniis æquum, facilem, multa multis de jure cedentem, à litibus vero, quantum liceat, & neſcio an paulo plus etiam quam liceat, abhorrentem; eſt enim, non modo liberale, paululum non nunquam de ſuo jure decedere, ſed interdum etiam fructuoſum.* Quod ſi in univerſum præcipitur omnibus, qui ſe bonos viros haberi volunt, ut ſe faciles, æquos, ac miſericordes, iis præbeant, quos habent obnoxios; quanto magis poſtulandum videtur ab iis, quibus Eccleſiæ patrimonium tuendum conſervandumque committitur, ut à litibus, quantum poteſt, abſtineant! cui Eccleſiæ, nemo unquam bonus exactoris acerbi vel flagitatoris inhumani turpiſſimam perſonam impoſuit, immo potius piiſſimę parentis partes attribuit. quamobrem, cum Eccleſiæ moderatores, in illius jure perſequendo, aliquid

duriter, immiſericorditer, inhumaniter, & illiberaliter faciunt, ſi dicant, ſe Eccleſiæ negotium agere, quam tuendam ſuſceperint; videant, ne, nomine Eccleſiæ, ſuam ipſorum nequitiam, crudelitatem, avaritiam, conentur obtegere; illique in primis, ad quos totum illud lucrum redundat ac redit.

CEPAR. Quoniam jam prandii tempus videtur appetere, ſurgamus, cenſeo. ac tam multa, Nici, quæ mihi ex uſu ſint, attuliſti, ut, qui te non norit, exiſtimet, multos annos magnæ cuipiam religioſorum hominum familiæ præfuiſſe.

NICIUS. Ludis me? at ego nihil ex meo ſenſu, ſed omnia ex veterum ſanctorum patrum monumentis, ut potui, depromſi.

CEPAR. Scio, ac maximas tibi gratias ago habeoque. nam bonam dediſti operam mihi; ac tibi viciſſim mutuam, ſi uſus veniat, operam reddam. Vale.



DIALO-

DIALOGVS DECIMVS,

DE VERECVNDIA.

IN prædiolo meo eramus, ego, & Lucius quidam, amicus meus, vir ſane prudens, nec abhorrens à litteris; atque, de clarorum hominum virtutibus, colloquentibus nobis, de Ioſepho incidit mentio, qui, ne caſtitati ſuæ labem inureret, violentas impuræ mulieris manus, à qua ad ſtuprum retinebatur, effugit. Cumque caſtiſſimi adoleſcentis factum, pro ſe quiſque laudaret, Dignus eſt, ait ille, qui, in exemplum verecundiæ, omnibus adoleſcentibus ad imitandum proponatur. Cui ego, cum minus apte eloquutus videretur, Quid ais? inquam; ego nullam hic verecundiam agnoſco; ſed potius ſummam excellentiſſimamque virtutem admiror. At vide, excepit ille, ne tu ipſe decipiaris; nonne verecundia laus eſt ineuntis ætatis? nam adoleſcens, qui nondum, per ætatem, exornavit virtutibus animum, agere ex virtute non poteſt: ideo rerum omnium parens, ne ille interea, deſertus ab omni præſidio, cum vitiis componeretur, ſed haberet quod illis opponeret, indidit, in ejus animum, laudabilem verecundiæ affectum; cujus ea vis eſt, ut teneram illam ætatem ac fluxam, metu dedecoris & infamiæ, à turpibus factis abducat, atque hæc verecundia in duplici ratione verſatur: nam, vel antecedit turpe factum, vel ſubſequitur; antecedit, cum quis, re aliqua turpi ſibi propoſita, dedecus metuens, eam refutat ac rejicit; ſubſequitur autem, cum, flagitio vel ſcelere admiſſo, adoleſcens, facinus ſuum reputans, verecundatur, ac ſecum ipſe ſtatuit, nihil poſthac tale committere, unde infamia ac dedecus conſequatur. idque poſtremum verecundiæ genus, etſi non abſit à laude, longo tamen intervallo à ſuperiore pervincitur;

præſtat enim, facinus non admittere, quam, eo perpetrato, pudere. In quo genere laudis Ioſeph admirabilis extitit, qui antea, oblati ſibi ſtupri dedecore exterritus, aufugit, quam ulla ejus in animum peccandi voluntas illaberetur. Tum ego, Erudite tu quidem, inquam, ſed non apte ſummis caſtiſſimi adoleſcentis laudibus, narras. dic, obſecro, quem nam tu illum eſſe ſtatuis? Quem? ait; probum & caſtum. Bene agis, inquam; jam, ſi tu illi probitatem aſſignas, verecundiam eripis atque aliam longe majorem laudem attribuis. nam, ſi das, eum fuiſſe probum, ſimul concedas oportet, omnia fuiſſe in eo abſoluta atque perfecta; ſiquidem probus eſt ille, cui nihil ad virtutem deeſt: at pugnat, idem ſimul eſſe mancum & integrum, inchoatum ac perfectum. non potuit igitur adoleſcens longe clariſſimus, ſimul eſſe virtutis compos & expers, verecundus & probus: cum verecundia nihil ſit aliud, niſi inchoata quædam virtus, quæ deinceps, procedente ætate, ad abſolutionem perfectionemque perducitur; adeo ut, qui adoleſcens, ex vereundia à vitiis abſtinuit, idem poſtea, confirmata ætate, ex virtute ab eiſdem abhorreat. verecundus erat L. Domitius, Neronis Principis avus, à cujus virtutibus, teſtatur Suetonius, nepotem degeneraſſe. hic, etiam tum adoleſcentulus, cum, in judicio C. Verris, interrogatus à Cicerone, pro teſtimonio diceret, audiviſſe ſe, Iunium pupillum, quem prætor Verres fortunis everterat, ad Chelidonis meritricis miſericordiam confugiſſe; cujus meritricis arbitrio Verres omnia gerebat, adduci vix potuit, ut Chelidonis nomen exprimeret. quem Cicero, ita laudans, inquit; Tantus in adoleſcente clariſſimo & principe juventutis pudor fuit, ut aliquandiu cum à me premeretur, omnia potius reſponderet, quam Chelidonem nominaret. nimirum hic, naturali quodam bono, aſſequebatur, ut non à turpibus ſolum factis, fugiendi dedecoris cauſa, refugeret, ſed à meritricibus etiam ipſis, ſuis nominibus appellandis, abhorreret. ab hac indole illa matura, temperanter agere, perpetuos pro Rep. labores non formidare, nullis C. Cæſaris beneficiis adduci ut in ejus tyrannidem conſentiret, ad extremum vitam ipſam pro retinenda libertate profundere. Sed verecundiæ nomen adeo inferius eſt omnibus Ioſephi meritis, ut ne continen-

tiæ

tiæ quidem laus, quæ propius ad virtutem accedit, eiſdem ex æquo reſpondeat. etenim, ad conſtituendum virum probum, ſi quid præter virtutem adhibeas, nihil agas. ſola enim virtus probitati faſtigium imponit, eaque detracta, vir probus, ne intelligi quidem, qualis ſit, poteſt. quin etiam rubor ille, qui fronti, ex verecundia, ſuffunditur, ſi occupet faciem ſenis, in quo virtus exigitur, nullam laudem habeat; cum inter corporis animique vitia non minus numeretur, quam anhelitus in feſtinationibus, dentium crepitus in metu, tremor corporis in initiis dicendi. nam hæc plerunque ita naturæ cujuſpiam inhærent, ut nec uſu vinci, nec ſapientia divelli, nec ætate excuti queant. Nihil, inquit Seneca, adverſus hæc ſapientia promittit, nihil proficit; ſui juris ſunt, injuſſa veniunt, injuſſa diſcedunt. quamobrem neque Sullæ laudi datum eſt, quod frequenter erubeſceret, neque Pompejus commendatur ex eo, quod nunquam non coram pluribus, vel in concionibus, rubore faciem offunderet. habet tamen hic rubor, propter ſpem virtutis quam affert, in adoleſcentibus gratiam. neque injuria dicebat Cato, ſe magis delectari juvenibus, qui erubeſcerent, quam, qui palleſcerent. hic tamen rubor in ſenibus, ut diximus, non ſatisfacit; in quibus requiritur aliquid aliud, longe maturius. quo magis perſpicitur eorum virtus & integritas, qui ad hanc maturitatem, adoleſcentuli, quam qui firmata ætate, perveniunt: quemadmodum caſtiſſimus juvenis Ioſeph, qui, ex vera virtute temperantiæ, impuræ mulieris conatibus obſtitit, atque, ex vera juſtitiæ laude, non ſuſtinuit, tantam, optime de ſe merito domino, injuriam imponere. Macte virtute puer. qua ætate alii cum vitiis bellum gerunt, ipſe ſpecioſum de illis triumphum agebat, qua ætate alii, verecundiæ frenis, à peccandi licentia cohibentur, ille, virtutis voluntate, didicerat, recte ac laudabiliter facere. atque, ſi ſolo infamiæ metu à peccando retraheretur, debuerat mulieris cupiditati morem gerere; neque alia, in præſentia, infamiæ fugiendæ ratio occurrebat, niſi culpam, propter quam dedecus timetur, admittere. etenim mulier, dolore repulſæ ardens, ac ſibi vim fieri clamitans, magnum caſtiſſimo adoleſcenti dedecus periculumque conflavit: at ille, optimæ mentis conſcientia ſuſtentatus,

maluit quodvis periculum & ignominiam adire, quam vel minimam, ſuo animo, peccati notam inurere. ô cauſam miſeram, in qua peccare erat, peccati pœnam effugere; in qua, aut caſtitas prodenda erat, aut bona exiſtimatio amittenda! Cujus exiſtimationis, quam virtutis, cupidior Lucretia, omnium ſermone ac litteris celebrata, addictam ſuam pudicitiam Sexti Tarquinii libidini tradidit. nam peſſimus ille alieni decoris prædo, præter mortem, mulieri etiam dedecus minitabatur; ac, Niſi mihi, inquit, fias obnoxia, poſtquam tibi vitam ademero, jugulatum apud te ſervum in lecto collocabo, ut, tanquam in adulterio comprehenſa, jure cæſa videaris. Tum Lucius, hac mea oratione commotus, Ain tu, inquit, Lucretiam non ex vera virtute caſtitatem coluiſſe, quæ, innocens, tam ſevere alienum in ſe facinus animadvertit? ô rem miram, ut vetus ille declamator dixit; duo fuerunt, & unus adulterium commiſit; violabatur innocenti corpus animus autem ſervabatur intactus; qui animus, violat corporis hoſpitio tanquam uti recuſans, latam ſibi ferro a exitus viam aperuit. At ego, Nullam, inquam, in ea, nec juſtitiæ neque temperantiæ, laudem agnoſco. & primum quod ad juſtitiam attinet, aut rea erat aut inſons: ſi rea, e ravit in eo, quod polluti à ſe conjugii pœnas exegerit; quod nulla lege permittitur: ſi inſons, arctiori ſe injuſtit laqueo obligavit, quod innocentem occiderit; cui rei, leg ac jura omnia reclamant. idem etiam transfero ad temp rantiam. nam aut, oppreſſa à Tarquinio, conſenſit ſtupı aut non: ſi conſenſit, flagitium admiſit, nec merito lau tur: ſi non conſenſit, cur maluit, violata, à ſe interir quam, intacta, à Sexto necari? Quia, inquit Lucius, ir miam, quam illi Sextus minitabatur, extimuit. Ergo e aliud, quod magis in opinione ejus valeret, quam vir nimirum hominum exiſtimatio. etenim, ſi magis vir duceretur quam gloria, non laboraſſet, quid de ſe ho nes loquerentur. nam virtus ſe ipſa contenta eſt, &, p ſus ſpernens, vulgi rumoribus non permovetur. atqu licet ſuſpiciones injicere, difficillime abſolvetur à crim quomodo enim potuit Tarquinius, intempeſta nocte tacite ad eam ingredi, ut ipſa neque alius quiſquar ſuis ſentiret? mulier, omnium ſui ævi longe formoſiſſi

cum tantum hoſpitem domi ſuæ haberet, cubiculi, ubi cubabat, oſtium apertum ac patens habebat? cur non ſaltem illi peſſulum obdidit? nullam ne ex ancillis ante ipſam, ut primariæ mulieres ſolent, advigilare curaverat? tanta ne erat domi ipſius ſolitudo, ut, ſi clamores ſuſtuliſſet, nullus accurreret? at eam, legimus, inter multitudinem ancillarum, de lanificio certantem, ſedere ſolitam eſſe; quarum aliqua, ſi ad ejus vocem accurriſſet, ſaltem herilis pudicitiæ teſtis eſſe potuiſſet, neque impurus ille, quod conatus erat, perfeciſſet. ſed nihil in præſentia definio; tantum ſatis habeo; oſtendere, nihil eam habuiſſe commune cum vera virtute. Tum tu igitur, ait ille, cunctis eam laudibus exuis, quæ omnium fere ſeculorum judicio laudata diſceſſit? Non equidem, inquam, ſuam illi laudem eripio; ſed nequeo falſam affingere. Cedo, ait, quænam eſt iſta laus, quam illi non adimis? verecundiam dico; eam nimirum, quæ factum aliquod turpe conſequitur. nam, ſi ea fuit in crimine, flagitium ſuum, unde dedecus metuebat, erubuit: ſi abfuit à culpa, alienæ in ſe turpitudinis pudore correpta eſt, & tanquam populo Romano conſcientiam ſuam, quæ intus occultabatur, vellet oſtendere, ferro ſibi latus aperuit. His dictis, ſermonem alio convertimus.

DIALOGORVM FINIS.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

I N-

INDEX DIALOGORVM.

I. *De Peſtilentia per Italiam graſſata anno* 1630.
II. *De Chriſti Paſtoris Ovibus.*
III. *Cur Deus, malos eſſe, patiatur.*
IV. *Lapſus poſt pœnitentiam.*
V. *De Deo trino & uno.*
VI. *De tentatione.*
VII. *De præſentia Dei.*
VIII. *Cur, metu æternarum pœnarum, tam pauci à peccatis abſtineant.*
IX. *Ceparius, ſive de rectore animarum.*
X. *De verecundia.*

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google